

**AB**

36 15  
n,8

G. E. W. Große. 1800.

IV<sup>d</sup>

0060

~~00~~ ~~W.~~

FRIDERICI RVDOLPHI WALTHERI

PHILOSOPH. ART. LIBERAL. MAGISTR.

ET

SCHOL. STENDAL. RECTOR.

# VINDICIAE GRAMMATICES.



APRIL F. 1860  
LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF STENDAL

+

STENDALIAE,

EX OFFICINA ET IMPENSIS DAN. CHRIST. FRANZENII.

M D C C L X X V I I I .



L 7720,

AD  
IVVENES HUMANISSIMOS  
MIHIQVE CARISSIMOS  
*IOANNEM FRIDERICVM*  
*AVGVSTVM HOLZTHIEM*  
GARDELEGIENSEM,  
*IOANNEM CHRISTOPHOR.*  
*IVENGKEN*  
MAGDEBURGICVM,  
*IOANNEM GEORGIVM*  
*HENRICVM SCHMIDT*  
ET  
*MARTINVM CHRISTIANVM*  
*FRIDERICVM WERKENTHIN*  
STENDALIENSES,  
DISCIPLINAE NOSTRAE AD HOC TEMPVS ALVMNOS,  
NNNC  
DISCESSVM IN ACADEMIAM PARANTES  
EPISTOLA GRATVULATORIA.



THE HISTORY OF  
THE CHURCH OF  
ENGLAND  
BY  
JOHN GEORGE  
HEWITSON SCHMIDT  
ET  
WILLIAM CHRISTIAN  
HEDWIGUS WILHELMINA  
SEYDEL  
WITH A HISTORY OF  
THE CHURCH OF  
ENGLAND  
BY  
JOHN GEORGE  
HEWITSON SCHMIDT  
ET  
WILLIAM CHRISTIAN  
HEDWIGUS WILHELMINA  
SEYDEL



Iam in eo estis, IUVENES HUMANISSIMI, vt, spatio studiorum scholastico-  
rum feliciter decurso, institutione nostra  
& disciplina informati & praeparati, dis-  
cessum in Academiam paretis. Discant  
vel Vestro exemplo omnes & nostrae &  
aliorum disciplinae alumni, quam grata  
atque iucunda sit bene actorum laborum  
& industriae diligentiaeque in bonis litteris  
addiscendis adhibitae recordatio!  
Discant a Vobis omnes, qui ad bene in  
scholis actae vitae laudem adspirant,  
quam sit discessus & ad fructum uberrimus &  
ad voluptatem iucundissimus, si  
qui studia minime cruda neque imperfecta  
saltet in Academiam proferant & ita  
se se gesserint, vt doctores non indignabundi,  
sed gratulabundi potius & cum  
tenerrimo quodam caritatis affectu e complexu suo eos dimittant. Gratulor Vobis  
ex animo & meo & caeterorum nostrae  
scholae

*scholae Magistrorum (quos in laetitiae  
meae partem venire par est, quia & illo-  
rum institutioni & disciplinae multum  
debetis) nomine de hoc Vestro discessu in  
Academiam atque, qui meus erga Vos  
est amor, opto & confido, fore ut eo, quo  
coepistis, & virtutis & diligentiae tra-  
mite, incedere pergatis. Lubrica est, cre-  
dite mihi, CARISSIMI, & periculi plena  
via, quam ingredimini. Magna cautio  
est adhibenda, ut morum integritatem &  
castitatem in hac saeculi peste graffante &  
conseruetis & olim reportetis. Is enim,  
ut saepius ex ore nostro percepistis & mox  
experientia docti ipsi cognoscetis, is est,  
proh dolor! saeculi nostri genius, qui  
suauiter molliterque sentiendi potius quam  
salubriter atque eleganter cogitandi affe-  
ctat facultatem. Quae quidem pestis  
capitalis atque funesta tam vehementer  
iam inuasit iuuenium ingenia, ut omnem  
studiorum*

studiorum & laboris affidui seueritatem  
plane reformident, & eiusmodi res tra-  
cent potius, quibus sensus suauiter molli-  
terque afficiantur, & ingenii lusibus dele-  
centur, quam ut in bonarum humaniorum-  
que litterarum contubernio & veterum au-  
ctorum lectione, quae quidem animi quan-  
dam contentionem requirat, tempus transfi-  
gant. Toti enim fere sunt in fabularum  
cum scenicarum, tum philosophicarum,  
florilegiorum poëticorum, aliorumque  
libellorum eiusmodi, quibus inundamur pe-  
ne hodie, lectione, & seueriora studia negli-  
gunt plane atque auersantur. A qua quidem  
lue atque peste vt Vos seruetis integros at-  
que incontaminatos, nullum, IVVENES HV-  
MANISSIMI, praesidium est tutius, quam  
ut bonis illis litteris atque grammaticis in-  
primis studiis operam detis continuam.  
Cui quidem nostri amoris admonitioni si  
morem gesseritis, vel propria experientia  
discetis,

*discetis, quanta ex Veterum lectione ad  
Vestra studia, quae in Academii tracta-  
tis, redundatura sit utilitas. Quid?  
quod, quo maiores in iis disciplinis, qui-  
bus quisque Vestrum se dicauerit, pro-  
gressus feceritis, eosque in primis viros,  
qui eas excoluerint & perfecerint, cognou-  
eritis: videbitis, eos tantos viros nun-  
quam euasuros fuisse, nisi bonis illis litter-  
ris in iuuentute operam dedissent, quas  
adhuc profiteri haud erubescunt. Valete  
igitur, & nostrarum admonitionum sitis  
bene memores! Feliciter decurrat &  
illud, quod iam ingredimini, studiorum  
spatium! Capiatis olim ex seueriori hac,  
quam ingenii vestris excolendis adhibe-  
tis, diligentia fructum uberrimum, me-  
que & absentes diligere pergatis. Valete!  
Stendaliae, d. XII. Mart. MDCCCLXXVIII.*



Inuenusta



Inuenusta profecto ac illiberalis  
plane, quid? quod bonis litteris  
omnibus funesta ac capitalis,  
eorum mihi videtur molestissima, ne quid  
grauius dicam, diligentiae peruersitas, qui,  
nescio qua, ingenii vel prauitate, vel maligni-  
tate, vel praepostero saltem de artium ac do-  
ctrinarum liberalium augmentis promerendi  
studio duici, immortaliter (si dñs placet!) iis  
se consulturos esse, persuaderi sibi passi sunt:  
si commune illud vinculum atque diuinam  
amicamque, qua artes liberales ac disciplinae  
ingenuae omnes inter se continentur, coniun-  
ctionem & conspirationem dirimerent, aut,  
verius ut dixerim, penitus diruerent. Etenim  
cum nihil sapientius, nihilque, quod humani-  
tatis naturae conueniat magis ac congruat, a

A

maiorum

maiorum prudentia institutum , posterisque religiose obseruandum traditum esse videatur , quam , vt iuuenilis aetas , integra adhuc , neque a socordiae ac negligentiae , quae adultiorum plerumque inficere solet animos , supinae contagione taeta , in litterarum illo , quem εγκυπλιον παθειαν Graeci nominant , orbe , tamquam in gyro quodam circumtaeta , mansuetior redideretur & mitior : atque a ferocitate lasciuia- que , qua exultare praecipue solent puerorum ingenia , auocata , ad humanitatem erudiretur & lenitatem ; inscitiam profecto nefandam , in- geniique stuporem , homine ingenuo & liberali plane indignum , produnt , omnibusque , qui , quantam diuinus ille harum litterarum concen- tus ad animum emolliendum excolendumque habeat vim , & probe sciunt & recte diiudicare didicerunt , turpiter sese dant ii , qui , ipsi cum per compendiorum artis vel disciplinae , quam sibi , inuita haud raro Minerua , & ambitione magis ducti , quam certa ratione commoti , descendam aliisque tradendam sumferint , prae- cipitia acti : ac a semitariis , qui eiusmodi eru- ditione compendiaria & exsangui delectantur , magistellis instituti , pede suo atque modulo omnia metiri sint assueti ; ea plerumque , quae neque intelligent satis , neque in famem ac ieunitatem

ie iunitatem cadant suam, cum fastu ac arrogancia contemnunt atque aspernantur. Atque, ne aliis ingenioli sui penuriam pauperiemque deridendam propinent, ingenuae ac liberalis eruditionis orbem tam artis constringunt coercentque limitibus, vt nihil fere, nisi quod vel προς τα αλφιτα, vel ad intelligendi quendam ambitum, vel denique ad facultatem, quam temeritatem rectius dixeris, de rebus vulgaribus, quae vel lippis & tonsoribus notae sunt, ambitiose magis, quam vere iudicandi, faciat, discendum docendumque esse arbitrentur non solum; sed etiam aliis, tamquam pro tribunali praetores, edicunt, auctoritate sua sanciunt quasi atque confirmant. <sup>1)</sup>)

A 2

Quorum

- ¶) Sapientissimum hoc atque diuinum quoddam veterum consilium fuisse, quod pueri non in compendiorum angustiis, sed in artium liberalium lato campo exercearentur, id ita confirmant omnes, vt, quo quis se plus in hoc litterarum genere videre putat, eo magis id affirmandum propugnandumque censeat. Quo quis enim est in litteris ingenuis rudior atque imperitior: eo intractabiliorem quoque atque duriorem illius animum reperieimus; quo quis autem in artibus atque disciplinis versatior atque peritior: eo humaniorem mansuetioremque atque tractabiliorem

Quorum hominum vel ingenii audacia, vel opinionis temeritas, quamquam vniuersae non solum, sed etiam liberaliori praecipue eruditioni multas easque magnas iam intulit plagas, veraque fundi

rem se non solum praestabit, sed & facilius se ad alios accommodabit, atque ad aliorum infirmitatem imbecillitatemque demittet. Quae cum ita sint, non facile quis admiretur, quod veteres pueros tam sollerter in litterarum humaniorum orbe exerceri iusserint. Optimum enim idque tutissimum ad eruditionem virtutemque consequendam est praesidium, si quis bonis illis litteris, quantum fieri possit, operam dederit. Quam quidem humaniorum litterarum vim cum ipsi bene intelligerent veteres, nec artis vlli, nec discipline ingenuae rudes atque expertes pueros esse voluerunt. Quo de litterarum orbe plura qui legere cupiat, consulat in primis Quintil. Inst. Or. I. 10. Vitruu. de Archit. 11. Vouerum de Polym. c. 23 & 24. Voss. de Philolog. p. 4 sq. Insignis & locus quasi classicus, qui haec omnia optime illustrat, est apud Philonem Iudaeum in libello: Περὶ τῆς εἰς προπαιδεύματα συνοδίου, qui εγκυλοπαιδειῶν prooemium & vestibulum sapientiae praeclare nominat, eamque famulam eius; quam cum Agar, Sarae ancilla, comparat, cum qua prius sit congredendum, antequam prolem ex virtute concipiamus: οὐ γάρ ετεῖν, inquit, οὐχοι δεξαθαγ πωγω-

vol.



fundi litterarii calamitas, quae fructum, qui ex diuinis illis litteris ad omnes redundare posset, intercipit, dicenda est: tamen si se finibus contineret suis, neque ylterius progrederetur,

A 3

ferri

νας αρετης, ει μη προτερου ευτυχωμεν αυτης τη Θεραπαινιδι. Θεραπαινις δε σοφιας, η δια των προπαιδευματων εγκυλιος, μαστη ναυ λογιη. Ωσπερ γαρ εν μεν οικιαις αυλαιοι προκεινται κλισιαδων, εν τε πολεσι τα προασεια, δι' αν εισω βαδιζειν ευεσιν. οντως ναυ αρετης προκεινται τα εγκυλια. Ταυτα γαρ οδος ετιν, επ' εκεινην Φερουσα. Χρη δε ειδεναι, οτι των μεγαλων ιποθεσεων μεγαλα ναυ τα προσ μια ειναι συμβεβηκε. μεγιη δε ιποθεσις αρετη. ναυ γαρ περι μεγιην ιλην παταγενεται του συμπαντα ανθρωπων θιου. Εινοτως ουν ου βραχεσι χρησται προσιμιοις, αλλα γραμ ματιη, γεωμετρια, ασρονομια, φητοριη, με σιη, τη αλη λογιη, θεωρια παση, αν ει συμβολον η Σαρρας Θεραπαινις, Αγαρ. Quas quidein litteras ingenuas non propter se solas in tanto honore habendas putarunt sapientissimi veteres, sed etiam vel propterea, quod hominem ita informarent, ut sibi ipse semper constaret, neque in dictis aut factis a rationis lege vel minium discreparet, vel latius recederet; sed se ipse semper reuocans, ad virtutis normam, tam quam ad musices leges, redigeret omnia, ut inde suauissimus animi consensus concentusque efficeretur.

ferri quodammodo posset; dummodo ne nasu-  
tuli isti atque vesani, qui litterarum sese iactant  
vindices atque statores, eo inficitiae, aut potius  
proteruiae procederent, ut singulas, quae  
orbem

efficeretur. Quae quidem, ut hoc vtar, causa  
fuisse videtur, ob quam veteres in primisque Py-  
thagoras discipulis suis musicam colendam di-  
scendamque seuere iniungebant, ut ex *Platone in Protagora*, p. m. 199. vide possumus: Καὶ τοὺς ἥρθμους τε, καὶ ἀρμονιὰς αναγναῦσονται (οἱ πιθαρίσαι) οἰκειουσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παι-  
δῶν, οὐαὶ ἡμερωτέροι τε ὡσι, καὶ ευρυθμοτέροι,  
καὶ ευαρμονεστέροι γιγνομένοι, χρησιμοὶ ὡσι εἰς  
τὸ λεγεῖν τε καὶ πράττειν. De *Republ.* vero  
lib. III. p. m. 438. Τοιταν ἐνεπικυριωτατηγεν  
μουσικη τροφη, ὅτι μαλισκα παταδυεται εις τα  
ευτος της ψυχης, ο, τε ῥυθμος καὶ ἀρμονια καὶ  
ερφαμενεσατα ἀπτεται αυτης Φεροντα την ευ-  
χημοσυην. Quem vero litterarum orbem ac  
varietatem omnem cum naturae nostrae imbe-  
cillitas non commode capere posse videatur,  
*Nicolai Damasceni aurea regula in primis omnibus* veterum elegantiae studiosis erit obseruan-  
da: *In studiis, velut in peregrinatione, inquit, varia loca adeunda atque peragranda, non ut*  
*ubique habitemus; sed hic prandendum, alio in*  
*loco pernoctandum, in quibusdam per dies ali-*  
*quot, aut menses, prout res tulerit, commoran-*  
*dum: in uno autem loco denique firma stabilis-*  
que

orbem illum constituant, artes ac disciplinas tantopere quasi amputarent atque exsugerent, ut illae nobis tam macilentae tamque exsangues traderentur, ut earum ora pallor atque squalor, qui omnes, qui eas amplecti velint, absterrere atque in fugam recte dare posset, infecisse eaque monogrammarum Epicuri aut vini multa vappa diluti haud absimiles esse videantur.

Verum, ne quis nos in eiusmodi humaniorum litterarum corruptores adulteratoresque paullulum subiniquos, vel ea, quae de eorum eruditioni ingenuae perniciosa ac molesta sedulitate dicta sunt, a calumniandi quodam aliorumque laudibus detrahendi studio (quod Deus a nobis prohibeat atque auerruncet!) profecta esse putet: agendum rem omnem exemplo illustrabimus, insigni non minus, quam vero, quo, tamquam in tabula exposita, cognoscant omnes, nos, non immerito, aut umbratili quodam intelligendi ambitu ductos, tam

A 4

querulas

*que sedes ponenda.* Ne vero his, qui ex humanitatis disciplina ad nos redundant, fructibus excidamus, religiose, quod est apud Philodem, veterem Comicum, tenendum consequendumque credamus:

Γοαμματα μαθειν, ηαγ μαθοντα νουν εχειν.

querulas ac lamentabiles de indigna ac inuenista, quae cum eruditioni liberaliori vniuersae, tum singulis eius partibus subeunda sit, sorte excitasse videamur; tamquam si quidam hostili quodam animo nostras in possessiones iuste irruissent, quibuscum non ex iure manum consertum, sed magis rem ferro aut conuicio quodam repetendam esse arbitraremur.

Nos quidem nolimus haberi ii, qui artium ac litterarum terminos, a natura, & ad intellectum apte & ad usum accommodatissime constitutos, moueamus vel turbemus, eorumque studia, qui quamlibet disciplinam, ne iusto atque aequo latius vagando alienas in possessiones inuaderet, ad fines suos legitimos redegerunt, reprehendenda aut traducenda esse putemus; sed hoc potius agimus, ut, quicquid de hoc fundo nostro vel recentior aetas detraherit, vel barbarie vis abstulerit, iustis repatum vindiciis, ne, si vel auulorum terminorum actionem intenderemus omnino nullam, aut aeterna, ut in hoc genere fieri solet, obtineat auctoritas, aut id, quod in allusionibus, contingat: ubi semper *incerta est possessio, incertum eius dominium, quod possessori per allusionem accrescit;* — — — *& quicquid aquae vis abstulerit,*

lerit, repetitionem nemo habet. <sup>2)</sup> Atque cum in finium controuersia ex duodecim tabularum lege tres arbitros dari solitum sit: <sup>3)</sup> utemur & nos quidem beneficio legis, sed ita, vt plures, cum e veteribus, tum e recentioribus, qui de litterarum liberalium finibus regundis egerunt & accuratius & religiosius, hanc in rem sumamus arbitros & iudices. Qua quidem in re, ne artium & litterarum liberalium fines nimium aut extendamus aut coerceamus, *Q.*  
*Fabium Labeonem, Ciceroni minime probatum illum quidem,* <sup>4)</sup> arbitrum *Nolanis & Neapolitanis* de finibus a Senatu datum, imitabimur: qui ad locum cum venisset, cum utrisque separatim dicitur locutus, vt ne cupide quid agerent, ne appetenter atque vt regredi, quam progredi, mallen; sic & nos in controuersia de artium liberalium finibus tuendis, ad locum cum iam ventum fuerit, vbi cuiusque terminos determinemus & suum cuique tribuamus, separatim, vt ita dicam, cum singulis loquamur, ne iusto latius progrediendo limites transgrediantur suos & alias in possessiones cupide & appetenter irruant; sed & fines earum regemus & definie-

A 5

mus

2) Epistol. Theodosii & Valentin. p. 344. Goef.

3) Cic. de Leg. I. 21.

4) Cic. de Offic. I. 10.

mus ita, vt, quoniam omnes maximis & propinquitatis & adfinitatis vinculis inter se sunt coniunctae, ab litibus & iurgiis in posterum sese plane abstineant.

Cum vero de artibus liberalibus singulis agere earumque fines definire, neque huius libelli, neque huius temporis esse videatur, idque etiam ab aliis copiosius iam expositum fit;  
 §) cum *Grammatica* sola rem transfigere eiusque terminos in locum suum reponere constituius, idque non vel propterea, vt noua plane, quaeque ad alios vel instruendos vel corrigendos facere possent, a nobis allatum iri, vel arbitremur ipsis, vel ab aliis nobis persuaderi patiamur; sed totum, qualiscumque demum videatur, libellum vel eam potissimum ob causam confecimus, vt, qualis *Grammaticus* (qui nobis hodie a multis exhibetur tam exsanguis atque elumbis, vt vel nomen illius tirones, qui humanitate imbui cupiant, deterrire possit) vt, qualis, inquam, *Grammaticus* esse debeat, quique insigni hoc ac graui nomine sit dignus, doceamus atque viuam humanitatis doctoris, siue, quod mihi idem esse videtur, veri ac digni Grammatici, imaginem viuis

§) Io. Aug. Ernesti Prol. de finibus humaniorum studior. regundis. Lips. 1738.

vivis coloribus quasi depictam atque expressam exhibeamus & in loco editiori exponamus omnibus iis, qui ad hanc laudem adspirant, ut iuuentutem in scholis vel publicis vel priuatis veri atque venusti sensu imbuant & ad humitatem informent.

*Grammatica* (cuius vel solo nomine appellando vereor, ne quibusdam hominibus, qui rerum dignitatem atque praestantiam ex magnifico verborum splendore potius, quam ex veritate aestimare solent, fastidium atque naufragium excitem; quid enim nostra aetate hac arte est vilius atque contemptius? cuiusnam disciplinae nomen, quod prae se fert, leuius minorisque nitoris?) Grammatica igitur, inquam, omnium litterarum liberalium ac ingenuarum prima, quam *Sextus Empiricus* <sup>6)</sup> αφετηριον τι προς την των αλλων μαθησιν praeclare nominat, tamquam praeconis voce excitata, in scenam prodeat atque de iniuria sibi illata queratur & quicquid a latifundio suo sibi detractum putet, vindiciis iustis & quidem citatis atque allatis testibus non contemnendis, repeatat.

Quis est vero in humanitatis disciplina tam parum versatus, quin sciat, quam male plerumque audiat Grammatica? Quis est, quaeſo,

6) Adu. Gramm. I. 1.

quaeso, quem fugiat, quam angustis coerceant  
 eam limitibus, vt, si paullulum modo hos,  
 quos sordida atque ignobilis recentioris aetatis  
 inscitia ei praefixos putat, fines transgrediantur,  
 exclament vndique omnes: *apage te! res tuas  
 tibi habeo! neque in alienas possessiones iniuste  
 inuade!* Atque hic contemtus & iniuria, qua  
 immetito se affectam queritur Grammatica,  
 non nostra demum aetate inualuit; sed iam  
 tempore, quo litterae in Graecia maxime flo-  
 rebant, non defuere, qui eam minimi facerent  
 eamque, tamquam syllabarum aucupem, mi-  
 nutiarum praeceptricem pueriliumque nuga-  
 rum, quae in virum nullo modo caderent, in-  
 dagatricem contemnerent. Stoici enim, vt est  
 in vita Zenonis apud Diogenem Laertium,  
 Grammaticam omnesque artes liberales con-  
 temnebant; idque vel propterea, quod nihil  
 ad vitam beatam conferre ipsis videbantur.  
 Qua quidem ratione commoti, & Epicurus non  
 magni eandem fecit, & Pyrrho, Scepticorum  
 pater, eam neglexit; quare etiam a Sexto Em-  
 pirico <sup>7)</sup> γραμματικης πατηγορι nominabantur.  
 Vterque vero Grammaticam non propter se  
 ipsam contemnendam esse arbitrabantur; sed al-  
 ter eorum vel propterea, quod ad sapientiam con-  
 sequendam

7) Adu. Gramm. I. 13.

sequendam parum aut nihil conferre putabat: alter vero, quod ad disciplinam, qualis esset philosophia, eam referri solebat.<sup>8)</sup> Qui quidem Grammaticae vituperatores ac reprehensorum

- 8) Ad quam causam accedit praeterea alia: ea nempe, quae Grammaticorum plerumque culpa accidebant, in artem ipsam iniuste conferebantur. Etenim cum Grammatici nonnulli atque eruditionis liberalioris magistri, fastu atque superbia elati, saepius alios despiciendos atque contemnendos esse putarent: vel propter hanc causam Zeno & qui ipsum sequebantur, Grammaticam accusabant. Quare ille ab initio statim librorum de republ., ut Diog. Laert. in vita eius, lib. VII. segm. 32. tradit, την εγνωκλιον παιδειαν αχρηστον αποφαινει studet. Atque Seneca, qui Zenonis disciplinam sequebatur maxime, Epist. LXXXVIII. *Ista liberalium artium consuetudo, inquit, molestos, verbosos, intempestuos, sibi placentes facit: & ideo non discentes necessaria, quia superuacua didicerunt.* Quod certe idem Zenonis consilium fuisse videtur, eur istas artes ingenuas tam parui aestimaret. Etenim auctore Diogene Laertio, l. VII. sec. 22. edit. Menag. diserte monebat: μη τας φωνας ιαυ τας λεξεις δειν υπομνημονευειν, αλλα περι την διαθεσιν της χρειας του νουν αχολεισθαι, μη ωσπερ εψησιν τινα, η σπενσασιν αν λαμβανοντες. Et porro saepius dixisse fertur: μηδεν ειναι της οιγ-  
σεως

sores habebant tamen, quod in ea opgugnanda sequerentur; sed quam a rationibus idoneis destituti, quam ignari omnisque doctrinae expertes recentiores huius artis censores ad eandem

*σεως* (sic enim cum Casaubono loco *ποιησεως* legendum esse arbitror) *αλλοτριωτερον προς παταληψιν των επισημων.* Qua ratione porro Epicurus inductus sit, ut has litteras aspernaretur, Sextus Empiricus adu. Mathemat. statim ab initio narrat: *Αλλοι μεν περι του Επικουρου, ως των μαθηματων μηδεν συνειργουντων προς σοφιας τελειωσιν.* Quocum comparandus est Cic. de Fin. I. 21. Epicurus quod parum tibi videtur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quae beatae vitae disciplinam iuuaret. Pyrrhonis sectatores vero non propterea artes negligendas esse putabant, quod nihil ad vitam beatam conferrent; quid? quod Pyrrho Grammaticae utilitatem ipse agnouit, vt Sextus Emp. adu. Gramm. I. 13. diserte narrat; sed quia a dogmatisorum disciplina esset alienissimus, nihilque aut affirmandum, aut negandum crederet: etiam de Grammaticae utilitate assensum suum cohibuit. quod idem Sextus Empiricus adu. Mathem. I. c. affirmat. *Οι δε απο Πυρρωνος, inquit, ουτε δια το μηδεν συνεργειν αυτα προς σοφιαν δογματινα γαρ ο λογος — — αλλα τοιουτον τε επι των μαθηματων παρουτες, δποιον εφ' ολης επαθου της φιλοσοφιας.*

Kαθαπερ

dem accusandam accedant, paucis iam exponemus.

Non immerito primum Grammatica de hac sibi illata iniuria expostulat, quae potissimum continetur eo, quod, cum plerique nominis huius vim atque potestatem neque satis intellexerint, neque, quae eorum linguarum est inscitia, assequi potuerint, artem ac disciplinam ipsam, Grammaticae nomine insignitam, pro re quadam inani atque futili, quae vel pueris vel Orbiliis plagosis esset relinquenda, habuerunt non solum; sed & aliis, ne vmbatili isti atque obscurae eruditioni operam darent ullam, autores fuerunt. Cum enim Grammatica ipsa vel nominis sui modestia *literarum* doctrinam profiteatur, atque scoli isti arrogantesque humanitatis contemtores plerumque primae verborum significationi, tamquam scopolis allisi, inhaereant eamque in interpretando vrgeant: qui potest aliter fieri,  
quam

Καθαπέρ γαρ επι ταυτη ηλθον ποθω του τυχειν της αληθειας, ισοδενει δε μαχης ανωμαλια των πραγματων ιπαντησαυτες επεχουν, ουτω παι επι των μαθηματων ορμησαυτες επι την αναληψιν αυτων, Σητουντες παι το ευταυθι μαθειν αληθες τας δε ισας έμρουτες αποριας, ευη αποκρυψαντο.

quam ut, Grammaticae notionem misere torquendo, tam exsanguem atque sordidam eam artem sibi ipsi cogitent. Credunt enim haud pauci Grammaticam omnem, quanta quantā demum sit, nullis aliis rebus, quam litterarum siue elementorum primorum cognitione, legendi scribendique peritia, declinationum, coniugationum & constructionum doctrina contineri; eaque esse omnia, quae perfectum absolutumque Grammaticum constituant.

Ac primum quidem verum est, quod Grammatica haec profiteatur omnia: quae quidem videantur minus digna, in quae tot labores vigiliaeque a nobis, qui ad perfecti Grammatici laudem adspiramus, impendantur. Nunquam sibi ipsi ignominiae aut dedecori duxit aut ducet unquam, publice praese ferre; quod versetur in minimis quidem, sed sine quibus nemo euasit maximus; quod nugas trahet, sed quae seria ducunt. Grammatica enim *απο των γραμματων* nomen cum accepisset, atque Graecorum *τα γραμματα* Latinorum *litteris* exesse responderent: factum exinde videatur, ut nonnulli putarent, disciplinam hanc in minimis istis leuibusque rebus subsistere, & minutiarum atque nugarum istarum, quas trahet, tamquam pilis & tricis implicitam, humi semper

semper repere, neque, ignobili illo onere de-  
pressam, attollere se atque altius euolare posse.

Qui quidem si τῶν γραμμάτων atque litterarum vim & potestatem, quam veteres ipsi vocibus istis subiiciunt, satis affecuti fuissent; vocis huius ὀμώνυμα non tam turpiter se decipi passi fuissent. Γραμμάτα enim, aequae ac litterae, prima quidem elementa, quae pueri doceantur, significant, atque propter hanc causam haec rudis, ut ita dicam, imperfectiorque Grammatica ab Aristotele <sup>9)</sup> τὰ γραμμάτα, & a Quintiliano <sup>10)</sup> litteratura nominabatur; nec non ille, qui prima elementa pueros docebat, & in legendo & scribendo illis voce & manu praeire solebat litterator, <sup>11)</sup> litterarius <sup>12)</sup> & litterio <sup>13)</sup> audiebat.

Quae prima cuiuslibet linguae elementa quamquam ad fundum Grammaticae proprie pertinent, eaque sibi ipsa vindicat; quin ipsa propter hanc elementariam disciplinam saepius Grammatices nomine insignitur: haec tamen

non

9) Arist. Politic. VIII. 3.

10) Quintil. Inst. Or. II. 14.

11) Sueton. de ill. Gr. c. 4.

12) Tacit. Annal. XV. 3.

13) Amm. Marcell. XVII. 12.

non ea est, quam veteres *litterati* profitebantur, sed, ut cum Isidoro<sup>14)</sup> loquar, *quaedam grammaticae artis quasi infantia*, quae si adultior fuerit facta maioresque crescendo sumferit vires, tum demum insigni illo ac graui nomine digna esse videatur. Atque haec ipsa rudis, quam diximus, *Grammatica*, quae prima litterarum elementa tradit, quamquam minus magnifico appellatur nomine, eiusque origo, a litterarum elementis deriuanda, non admodum nobilis esse videtur; non est tamen, quod vel propterea a nobis contemnatur. Etenim de litteris ipsis earumque origine, natura, invenzione, vi, vſu, variis, quas per varia temporum spatia subiere, mutationibus, orationis denique partibus omnibus, scienter diligenterque posse exponere, quis est, quin fateatur, hoc Grammatici munus neque leue, neque ignobile esse? Quis est tam parum in hoc litterarum genere versatus, qui sciat, vel periculo huius rei facto facile experiri possit, ad haec omnia recte atque caute examinanda multa atque varia eruditio-ne, diligentia, experientia atque labore quodam improbo, quem quidem non quilibet facile sustineat, opus esse? Quis enim, ut hoc vtar, *Montefalconium*, litterarum Graeca-rum

14) Orig. l. 13.

tum illum peritissimum atque sagacissimum interpretem, vel propterea contemnendum, aut pro inaniūm nugarum aucupe habendum esse putet, quod in diuino illo de Palaeographia Graeca opere litterarum Graecarum naturam, originem, inuentionem variasque ductuum per saecula singula vicissitudines exposuit? Quis erit, quaeso, qui haec Grammaticae munera non laudibus efferenda censeat? Quis est denique, qui nesciat, quantum adiumenti illa ipsa rudis atque imperfecta Grammatica Criticae cum sacrae tum profanae tulerit? Quae cum ita sint, Sextus Empiricus illam ipsam puerilem, quam nonnulli dicunt, Grammaticam, duplificem quasi fecit: alteram, quae ipsa profiteatur, se elementa eorumque compositionem esse doctrinam; alteram vero, quae paulo sit profundior, neque in nuda litterarum cognitione subsistat, sed in examinanda earum natura, vi, origine & potestate versetur. <sup>15)</sup>

B 2

Quae

- 15) Sextus Empir. adu. Grammat. I. 2. Πλὴν διττῆς οὐσίης γραμματικῆς, τῆς μεν τὰ σοιχεῖα ηγετουτῶν συμπλοκηρύ διδάξειν επαγγεῖλομενῆς, ηγετοῦ διδόλου τεχνῆς τινος οὐσίης του γραφεῖν τε ηγεταγινωσκειν. τῆς δε βάδυτερας πάρα ταυτηρύ δινυχισεγώς, οὐκ εν φιλῷ γραμματῶν γνωστει ηγετει.

μενῆς

Quae profecto puerilis, quae dicitur, Grammatica sciolis istis atque nasutulis rei grammaticae contemtoribus, qui sublimi quasi vertice fidera feriunt, si elaboranda effingendaque traderetur, sudarent sane multum & algerent.

Verum non est, quod Grammatica de suo nomine erubescat; non est, quod vel propterea aliis disciplinis vel dignitate vel utilitate cedat: quia illac ipsae litterae & τα γραμματα, quae profitetur ipsa, non sunt eiusmodi, ut eam in contemptum ignominiamque ducere, nisi apud imperitos huiusque rei parum gna-

ros,

μενης αλλα παν τω εξεταζειν την έυρεσιν αυτων ηα την Φυσιν, ετι δε τα εκ τουτων συνεσωτα λογον μερη, ηα si τι της αυτης ιδεας θεωρειται. Quare etiam Quintilianus, acutus ille subtilisque Grammaticus, Institut. Or. I. 4. *vel sola*, inquit, *omni studiorum genere plus habet operis, quam ostentationis.* Ne quis igitur tamquam parua fastidiat grammatices elementa, non quia magnae sit operae, consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semiuocatum numerum mutarumque partiri; sed quia interiora *velut sacri huius adeuntibus* apparebit, multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque erudititionem ac scientiam possit. *An cuiuslibet auris est, exigere litterarum sonos?* Non hercule magis, quam neruorum.

ros, possint. Nam vocem Latinorum litterae primo quod attinet, haec non elementa solum, sed etiam disciplinas, quae litterarum monumenta continent, & quae harum ope posteritati conseruantur & haereditati quasi traduntur, significat. Quid? quod, vocem littera pro scripto siue libello non a poëtiſ ſolum, ſed etiam a scriptoribus orationis ſolutae vſurpari, neminem fugere arbitror. Graecorum vero το γραμμα pro ipſo ſcripto ſiue libello, & ſoluta quidem oratione composito, adhiberi, nemo, vt arbitror, ibit inficias, qui vel vnius Callimachi in Cleombrotum Ambraciotam epigrammatis meminerit.<sup>16)</sup> Haec igitur

B 3

prima

- 16) Ειπας, Ήλιε χαιρε, Κλεομβροτος ὡμβρανιατης  
 Ήλατ' αφ' ιψηλου τειχεος εις αἰδην,  
 Αξιον ουδεν ιδων θανατου κανον, απλα Πλατωνος  
 Έγ το περι ψυχης γραμμ' αναλεξαμενος.

Quae de Latinorum Graecorumque verbis, litterae & τα γραμματα, obſeruauimus, non eſt, quod copiosius illuſtremus; quin putida atque minuta diligentia nonnullis videatur. Cum vero haud pauci, quae ſit horum verborum, cum apud Græcos, tum apud Latinos, vis atque potefas, aut ignorare, aut minus cogitare, coque in errorem duci videantur, vt abiecius de Grammatica ſentiant; quae ad confirmando ſupra a nobis dicta facere poſſent, paucis defungemur:

prima erat iniuria, quae a Grammatica erat depellenda, & quae ab interpretandi eius nominis calumnia quadam oriebatur, qua ista nulla

gemur: plura qui velit, adeat S. V. Ernesti Prolus. de finibus humanior. litterar. regund. p. 14. Vouerum de Polymathia, c. IV. Vossium de arte Grammatica, I. 1. Mausacum ad Harporat. p. 331. Sext. Empir. adu. Gramm. I. 2. *Litteras Latinorum non minus, quam τα γράμματα Graecorum, primum scriptum quoduis siue libellum significare, patet in primis e loco Ciceronis, qui est de Diuin. II. 2. vbi Graecae de Philosophia litterae idem fere significant ac philosophorum Graecorum monumenta.* Deinde vero voces istae *tabulas & scripta publica* quaecunque, ut Verrin. III. 77. indicant. Etenim *litterae publicanorum*, quarum ibidem fit mentio, τοις δημοσιοις γραμμασι apud Sext. Empir. adu. Gramm. I. 2. & κοινοις γραμμασι apud Demosth. ex aliis respondent. Porro voces istae artium ac disciplinarum ingenuarum ambitum omnem & totum, quantum quantum est, philosophiae studium indicant. Hinc *Graecae illae Latinaeque litterae* a Cicerone saepius laudantur. Atque exinde demum *litterarum Graecarum vis*, quibus instructus Cato eruditius caeteris disputare, (Cic. Cat. I.) & των γραμματων potestas, quibus imbutus Paullus Festo insaniire videbatur, (Actor. 26, 24.) inclius intelligetur. Quare etiam *Ammonius*

nulla fere alia re, quam pueros in legendo  
scribendoque exercendi disciplina contineri  
haud pauci putarent. Est vero maior adhuc  
Grammaticae nostrae dignitas atque praestan-

B 4

tia.

*monius in libello elegantissimo: περὶ ὁμοιῶν παγ  
διαφορῶν λεξεῶν, postquam, γραμμὰς σοιχείου  
διαφέρειν, docuisset: παγ εν τῷ συνηθεῖ, περγί,  
πολλὰ Φαμεν εἰδεναι γραμμάτα τον δὲ ον γαρ  
τα εινοι τεττάρα, αἴκατον των πολλῶν ειπει-  
ρουν γραμμάτων. Hinc αγαμμάτος pro illitterato,  
sive eruditionis omnis experte, & littera-  
tissimus pro eo, qui eruditione varia est instru-  
ctus, occurrit. Denique & litterae & τα γραμ-  
μάτα artem Grammaticam notant. Cicero de  
Or. I. 3. Studium litterarum, quod profitentur  
ii, qui Grammatici vocantur. Litteratus saepius  
est is, qui linguae eiusdam ita est peritus, ut &  
loqui bene & scribere eleganter possit, Cic. Off.  
I. 37. & litterate loqui idem fere est, ne accurate  
regulisque artis conuenienter loqui. Quid certe  
iam vidit Sextus Empiricus adu. Gramm. I. 2.  
ita fere differens: ταχα δε, ᾧς Φασιν δι περι  
τον Ασκληπιαδην παγ αυτη μεν απο μεν των  
γραμμάτων ἀγομαση, ουν απο τουτων δε, αφ' ᾧ  
παγ η γραμμάτιση: αἵτινη μεν, ᾧς εφην,  
απο των σοιχείων, αυτη δε απο των συγγραμ-  
μάτων, περι δις ποιειται. Quare etiam Augu-  
stini. Confess. adamaueram, inquit, Latinas lit-  
teras,*

tia. Haec primordia tantum & quasi prooe-  
mium, quo ad variam illam copiosamque eru-  
ditionem adducuntur pueri, recte dixeris.  
Quae quidem, quam populus quidem dicere  
solet,

teras, non quas primi magistri, sed quas docent,  
qui Grammatici vocantur. Quae haftenus de  
litterarum & τῶν γραμμάτων vocibus a nobis  
disputata sunt, illustrabunt optime ea, quae Sue-  
ton. de illustr. Gramm. c. 4. e Cornelii Nepotis  
libello de litterato profert: *appellatio Gramma-  
ticorum Graeca consuetudine inualuit; sed initio  
litterati vocabantur.* Cornelius Nepos ipse in  
libello, quo litteratum ab erudito distinguit:  
*Litteratos vulgo quidem appellari, ait, eos, quē  
aliquid diligenter & accurate scienterque possent  
aut dicere aut scribere: caeterum proprie sic ap-  
pellandos, qui a Graecis γραμμάτιοι nominen-  
tur, eosdem litteratos vocitatos.* Quam quidem  
significationem dupliceam, quae vocibus istis sub-  
iecta est, cum bene obseruarent veteres, sedulo  
eauerunt, ne quis hanc, quae prima litterarum  
elementa tractat, Grammaticam perfectam atque  
absolutam illam esse putaret, de qua ὁ ΠΑΥΠ  
Erasmus in vita Originis praedicat: *minori ne-  
gotio tres iuris doctores absolueres, quam unum  
Grammaticum, qualis fuit Aristarchus apud  
Graecos, apud Latinos Seruius Donatus.*  
Quare etiam grammaticum a grammatisa, lit-  
teratum a litteratore, grammaticam a gramma-  
tistica

solet, (penes quem ius sermonis esse, quis est, qui nesciat?) si Grammatica dicenda erit, *νοιωθει μεν*, ut Sextus Empiricus inquit,<sup>17)</sup> *και ιδιως* appellanda erit.

Quid tandem, huius artis contemtores castigatoresque saepius crepare audies: quid nobis qualemque *communem* & quasi *propriam* Grammaticam narratis? quid, quaeso, vigilantes somniare videmini? Quae vero est illa, quam cum Sexto Empirico vestro *την τελείην γραμματικήν* nominare soletis? Nonne omnis illius cura intra recte legendi scribendique doctrinam se cohibet, &c. si altius se extulerit, ad recte loquendi scientiam ascendit? Qui si intel

B 5

telligerent

*tistica* multum differre arbitrabantur, aliamque *τελειοτερην*, aliam vero *ατελεσερην* & *παιδευτικην γραμματικην* faciebant. Vid. Mau-  
sace. ad Harpocrat. p. 330. Vossium de Art.  
Gramm. I. 1. Vouerum de Polymath. c. IV.  
& V. Sext. Empir. adu. Gramm. I. 2. Quae  
omnia Sueton. de illustr. Gramm. c. 4. confir-  
mat: *sicut, qui litteratum a litteratore distin-*  
*guunt, ut Graeci grammaticum a grammatica,*  
*& illum quidem absolute, hunc mediocriter do&rum*  
*existimant.* Atque Apuleius in Florida belle  
dixit: *prima cratera litteratoris ruditatem exi-*  
*mit, secunda grammatici doctrina instruit.*

17) Adu. Gramm. I. 2.

telligerent satis, quid sit recte loqui & scribere, profecto non esset, quod cum illis litigaremur. Sed cum nunquam didicerint, neque, quae est ingenii eorum tenuitas, assiqui satis potuerint Horatii illud:

*Scribendi recte, sapere est & principium & fons.*  
 quod quale sit, inquam, quantamque recte  
 sapere ad recte scribendum intelligendumque  
 habeat vim, cum plane ignorant, obtrudunt  
 nobis Grammaticam, nescio quam, tenuem ac  
 iejunam, quae verborum significationum  
 eruendarum molesta sedulitate, formularum  
 phrasiumque decantatione inani, elegantiarumque,  
 quas Zierlichkeiten sua ex interpretandi  
 disciplina reddunt, obseruandarum pruritu  
 contineatur: qua ab iniuria nouaque calumnia  
 Grammaticam, quia patrocinium eius suscepimus,  
 defendamus & tueamur necesse est.

Nunquam igitur sciolis istis atque inquis  
 censoribus concedemus, Grammaticam intra  
 recte scribendi & loquendi, quamquam & hoc,  
 qualemcumque videtur, plus in recessu habet,  
 quam in fronte promittit, curam subsistere.  
 Latius profecto patet atque iniuste plane de  
 fundo suo deiecta & suis, quibus olim conti  
 nebatur finibus, exclusa est a recentiori igno  
 rantia. Qui vero fuerunt, inquiunt illi, veter  
res

res eius limites, in quos sit reponenda? *Poëtarum interpretatio.* Haec enim olim proprie ad Grammaticae fundum pertinebat; hanc igitur sibi vindicabit. Atque hic audio non-nulos, qui ad interpretandos poëtas gustu solum, quem dicunt, quodam, non autem vmbra tili illa subtilitate opus esse putant, Grammaticae occinere: quae tandem ista erit, quam iactas, poëtarum interpretatio, quae iejune ac nude omnia in forum quasi propellis: neque diuinis illis motibus, quos poëtarum carmina spirant, repletum pectus vñquam habes? Qui quidem poëtas si enarrant non grammaticē prius, sed ita statim eos explicari volunt, vt sentire magis ac degustare, quam intelligere & ratione complecti, pulchrum & diuinum illud, quod poëtarum carminibus recte inesse dicitur, videamus, atque, vt eodem afflatus eademque illa diuina vi, qua repleti vates illi cecinissent, repleamur & ipsi & ad admiratiōnem quasi rapiamur.

Qui si didicissent, quid sit interpretari grammaticē, aliis non tam turpiter sese darent, & Grammaticam a poëtarum interpretatione excluderent. Quid autem est interpretari Grammaticē? Quantum ego quidem hac in re video, hoc nemo profiteri poterit, nisi, qui ostenderit

ostenderit atque ex vsu loquendi confirmauerit, quam singulis vocibus vim atque potestatem veteres subiecerint, quam latis aut angustis limitibus notionem quandam constrinxerint; quam elegantes denique atque subtiles in ideis rerum verbis exprimendis edifferendisque fuerint: atque haec qui recte ceperit omnia, quique singulorum verborum vim & potestatem asscutus fuerit; qui denique ex mythologia sive veterum Theologia, antiquitatis, geographiae, historiae penu locis obscuris lucem asperferit, & totius loci cuiusdam e veterum libris dispositionem elocutionemque rite atque accurate exposuerit, num ille non poëtas intelligere atque interpretari posse videretur? Cum vero Grammaticae subinqui reprehensores haec omnia, qualia sint, non recte asscuti videantur: poëtarum interpretationem, nescio quam, somniunt. Quae sint in poëtarum carminibus pulchra atque venusta, exponunt, antequam verba interpretati sunt grammaticæ. Haec sentiri melius, quam intelligi atque explicari posse, cum ambitione quadam exclamant: quae si quis non sentiat atque degustet quasi, quam sint bella atque iucunda, stupidum plane atque callo quasi obductum pectus habere dicunt.

Quae

Quae noua poëtarum interpretum soboles, qui pulchra atque venusta in eorum diuinis operibus sentiri atque praelibari posse prius arbitrantur, quam verborum singulorum vis ac potestas accurate perspecta atque percepta sit, coenae cuiusdam magistri non absimiles esse videntur, qui, parata mensa, appositis omnibus ferculis, non ad comedendum prius admittit vocatos conuiuas, quam annili quadam cum loquacitate exposuerit, singuli cibi appositi, iura, fercula, promulgatis atque mensae secundae quam bene & belle sapiant, quam gulae blandiantur, quam demortuam pene famem excutiant atque leniant. Nonne vndique omnes isti acclamabunt: parce nugatoriae isti tuae eloquentiae; portiunculam vnicuique suam distribue, quam sint bella, iucunda atque sua via, ipsi, quibus palatum minime occalluit, mox experiemur. Atque vt imperitis fese eo melius venditent noui isti poëtarum interpretes, noua plane atque inaudita verba procudunt, quibus sensus ille pulchritudinis atque venustatis earumque expositio sint insignienda. In quo profecto Plautinum illum coquum<sup>18)</sup> imitari mihi videntur, qui, vt se lenoni, cui ope-ram suam locauerat, commendaret, caeteros omnes

18) Pseud. 3, 2, 42.

omnes, tamquam artis coquendi & condiendi vel ignaros, prae se despiciebat, nouaque plane condiendi genera ex ingenio suo fingebat: *cicilendrum*, nempe, *polindrium*, *macidem*, *cicimandrum*, *happalopsidem*, *cataracfriam*, quae omnia mera atque inania sunt verba, quae quidem magnifice sonant atque imperitis imponunt, sed nulla illis subest sententia.

Sed vt reuertatur, vnde digressa est nostra oratio, obsignatis quasi tabulis agemus atque docebimus, scriptorum veterum in primisque poëtarum interpretationem propriam sibi vindicare Grammaticam: atque hanc in rem Sextum Empiricum & Quinctilianum, tamquam testes maxime idoneos, adhibebimus. Priorem igitur audiamus. Qui quidem etsi eos minime ferendos putet probandosque, qui Grammaticam, aut artem aut scientiam experientiamque rerum, quae in veterum libris deprehendantur, esse affirmant; tamen in eo omnes Grammaticos & consentire & recte iudicare censet, quod ipsa sit rerum, quae in poëtis & aliis scriptoribus occurrant, cognitio atque scientia. Quare Dionysii Thracis, Grammatici cuiusdam haud ignobilis, artis grammaticae defensionem, si a paucis discesseris, non improbandam aut reiiciendam esse putat.

putat. Διονυσίος μεν οὐν, inquit, <sup>19)</sup> ὁ Θραξ εν τοις παραγγελμασι Φησι; Γραμματική εσιν εμπειρία, ὡς επι το πλειστον, των παρα ποιητας τε ην τυγγραφεισι λεγομενων. <sup>20)</sup> Qui vero sint συγγραφεις illi, idem optime exponit: συγγραφεις ιαλων, ᾧ εσιν ει της προς τους ποιητας αυτεμ φασεως προδηλον, ουν αλλοις τινας, η τους καταλογαδην πραγματευσαμενονς. Quam εμπειριας vocem, quamquam ille Grammaticae proprie, & eo sensu, quo in philosophorum scholis usurpatur, non tribuendam esse arbitratur; tamen ita ipfi iure competere censet, vt sit εξοχως ην επι της των ποιητων ην ποιηλων πραγματων γνωσεως. Ex quo etiam quemlibet facile perspecturum esse arbitror, cur Grammatica πολυμαθία, & Grammatici πολυμαθεις & φιλολογοι saepius nominentur. Hunc Sextum Empiricum excipiat Quintilianus, qui poëtarum interpretationem etiam Grammaticae propriam facit. Etenim ille Instit. Or. I. 4. *Haec igitur professio, cum breuissime in duas partes diuidatur, recte loquendi*

<sup>19)</sup> Adu. Gramm. T. 3.

<sup>20)</sup> Sueton. de ill. Gramm. c. 4. e Cornelii Nepotis libello, quo distinguit litteratum ab erudito, idem confirnat; caeterum, inquit Nepos, proprie sic appellandos poëtarum interpretes, qui a Graecis γραμματιοι nominantur.

*loquendi scientiam & poëtarum interpretationem plus habet in recessu, quam fronte promittit.* Atque L. II. c. 1. idem: *Grammatice, inquit, quam in Latinum transferentes, litteraturam vocauerunt, fines suos norit, praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi constitere, prouecta.* Nam tenuis a fonte, adsumtis poëtarum historicorumque viribus, pleno iam satis alueo fluit: cum praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope maximarum artium scientiam amplexa sit.

Atque hic profecto vereor, ne nonnullis bilem atque stomachum moueamus, cum quibus singulis, quo quisque erit cerebrosior, eo acrius vehementiusque nobis pugnandum colluctandumque esset. Quid enim illis potest esse molestius? quid ferent, bone Deus, indignus? qua, quaeso, re citius ad iram, lites, iurgia, conuicia prouocari eos dixeris, quam si videant, eam Grammaticam, quam tam ieiunam & tenuem esse antea putabant, vt ne ad poëtarum interpretationem quidem, tamquam stupore quodam atque callo, qui venustatis & pulchritudinis sensum nullum omnino capiat, obducentiam, admittendam, sed fustibus quasi ex aliena domo abigendam esse arbitrabantur: qua re citius, inquam, bilis & stomachus

com-



commouebitur illis, quam si, illam tam latius patere & vltra poëtarum interpretationem progredi, intellexerint? At nos, cum simus litium minus amantes, & a natura pacis studiosi, cum his hominibus ipsi non congregiemur: cum robustiori enim aut importuniori saltem ini quam semper concertationem esse audituimus; sed turbae atque acerrimae huic pugnae nos ita commode subducemus, ut Grammaticae latifundium ab iniusta aliorum in illud irruptione & iniqua illi, quicquid potuerunt, detrahendi malitia veteres Grammaticos ippos defendere atque tueri sinamus. Verum hoc impune a nobis nunquam ferent Grammaticae immodesti vituperatores, quod pro magno atque insigni beneficio id nobis reputandum esse censeant, quo tandem Grammaticis, licet non omnem quidem, sed aliquam poëtarum interpretationem concedant. quamuis grammaticam illam poëtarum interpretationem toto caelo ab illa, quaे vatimi carmina non intelligere solum, sed sentire & gustare siue *audire* quasi doceat, differre contendunt. Quasi vero ad illam ipsam, quam dicunt, poëtarum interpretationem parum fere aut nihil eruditio nis & litterarum opus sit. Qui si vñquam secum reputauissent, quibus potissimis rationi-

bus veteres inducti, poëtarum enarrationem Grammatices quasi propriam fecissent: in ea enim illam totam occupatam esse & quasi regnare atque dominari voluerunt; profecto non haberent, quod Grammaticam sua dignitate vel minimum defraudarent.

Constat enim inter omnes, poëtarum libros apud veteres, tamquam promtuarium omnium fere artium ac litterarum fuisse, e quo peterent, quicquid ad puerorum ingenium vel formandum, vel instruendum, aut ad animum pietatis probitatisque praceptis imbuendum, aut ad pectus contra fortunae iniurias corroborandum facere aliquo modo posse videretur. quare pueris nihil fere, nisi poëtas legendos & diurna nocturnaque manu versandos tradiderunt. Quicquid enim Theologiae, Physiologiae, Physicae, Astronomiae, Philosophiae, Historiae, Geographiae caeterarumque omnium artium ac disciplinarum scientiam constituit, ea fere omnia poëtae libris suis complectenda iisque intexenda esse putarunt. Atque haec quoque huius rei est caussa, cur veteres Grammaticum pectus omni eruditioonis copia instrutum ad eorum interpretationem afferre voluerunt. Erant enim poëtarum volumina instar oraculi, a quo rerum diuinarum humanarumque,

que,

que, omnium litterarum peteretur cognitio & hauriretur: quam ob rem etiam ipsi, optimi virtutis magistri, probitatis praeceptores ingenii, atque philosophi, non acutissimi atque subtilissimi quidem, sed suauissimi tamen & ad animum commouendum emolliendumque valentissimi habebantur. <sup>21)</sup> Quamquam enim poëtae aurum delectationem sensuumque voluptatem spectabant illi quidem; huius rei tamen solius rationem habendam esse, nunquam arbitrabantur. Cum igitur poëtarum libri omni eruditione sint refertissimi, nihilque fere, quod & ad instituendos & ad formandos hominum animos facere posse videretur, a se omis-

## C 2

sum

- <sup>21)</sup> Scholiares minor Homeri ad Oðυσσ. γ. Το ἀρχαιον, inquit, οἱ δόιδοι φιλοσοφῶν ταξιν επειχον. Inde etiam σοφοι & σοφίσοι diēti. Quintil. Inst. Or. I. 10. & ad Pindari Isthmic. Od. V. enarrator Graecus addit: Σοφίσας καὶ σοφους ελεγον τους ποιητας. Atque Plutarchus in libello, cur Pythia oracula non edat carmine, p. m. 716: Προτερού μεν εν τοις ποιημασιν εξεφερου οἱ φιλοσοφοι τα δογματα καγκιους λογους, ώσπερ Ορφευς καὶ Ήσιοδος καὶ Παρμενίδης καὶ Σενοφάνης καὶ Ευπεδονίλης καὶ Θαλης. Τεσσερού δε επαυσαντο καὶ πεπανταχοι χρωμενοι μετροις πλην σου, Σεραπιουν. δια σου δε αυθις εις φιλοσοφιαν ποιητικη κατεισιν, ι. τ. λ. Vid. Quintil. Inst. Or. I. 4.

sum esse voluerunt; sapientissimi quoque ac prudentissimi veterum in eorum lectione ac interpretatione pueros praecipue exercendos esse arbitrabantur.

Atque in hac ipsa puerorum per poëtarum lectionem instituendorum formandorumque ratione veteres sane recentiores & sapientia & prudentia multum superasse videntur. Etenim illi iuuentutem magis ad hoc adducendam assuefaciendamque esse credebant, ut in illis ipsis legendis audiendisque delectatione, tamquam opsonio, frueretur illa quidem; sed omnia, quae ex eorum lectione hauriret, ad utilitatem sapientiamque referret potius, quam ad suauiter molliterque sentiendi facultatem: atque, nisi hac ratione lectio eorum cum pueris institueretur, arcendos eos potius ab ea, quam adducendos esse, putarunt. Quod sane eleganter *Plutarchus* de audiendis poëtis, C. 1. iam admonuit: Διο δει, inquit, μη μονον εν ταις περι εθωδην καὶ ποσιν ηδοναις διαφυλαττειν ευχημονας αυτους· ετι δε μαλλον εν ταις απροατεσι καὶ αγγυωσεσιν εθιζειν ασπερ οψω χρωμενους μετριως τῷ τερπούτι, το χρησιμου απ' αυτου καὶ το σωτηριον διωνειν. Quod si igitur hac ratione cum iuuenili aetate instituatur poëtarum lectio, fieri aliter non potest, quam vt & melior red-datur

datur & probior, & venustatis pulchritudinisque illo, quem profecto non omnino negligendum esse putamus, sensu sua sponte imbuatur; licet huic rei nullam dedisse videamur operam anxiam vel nimis putidam. Quemadmodum enim cibo, quem quotidie sumimus ad corpus alendum bonumque inde sanguinem ducendum, utimur quidem, & delectatione voluptateque, quas praebet ille, fruimur, licet non vel propterea eum sumendum putaremus; ita in poëtis & legendis & interpretandis id vnice spectandum agendumque esse videtur, ut, verbis eorum rite recteque intellectis, quae sit eorum mens & consilium, quae praceptorum morumque notationum, quas exhibent, vis ad animum virtute imbuendum atque formandum, exponamus: quae enim ad pulchritudinis venustatisque sensum faciunt, vltro sese in puerorum animo vel ipsis legendis poëtis insinuatura esse, vel pignore cum quouis certare ausim. Sapientissimus igitur idem Plutarchus <sup>22)</sup> auctor est, ut philosophia sit interpretandorum poëtarum moderatrix: Οὐ φευκτεον εσι, inquit, τα ποιηματα τοις φιλοσοφειν μελουσιν, αλλ' εν ποιημασι προς φιλοσοφησιν, επιγομενους εν τω τερποντι το χρησιμου λητειν ισχυ αγαπην, ει δε μη, διαμαχεσθαι ηση δυχερωνειν.

c 3

Quodsi

22) De audiend. poët. c. 1.

Quodsi igitur haec sola, quam exposui-  
mus atque Plutarchi auctoritate confirmauimus,  
vera ac genuina poëtarum interpretatio dicen-  
da videtur: eam Grammatica sibi propriam  
& tamquam fundum suum vindicare potest;  
neminemque, qui vel aliquam harum littera-  
rum studiis operam dederit, fore arbitror, qui  
inficias eat, magnam eamque variam ad poë-  
tarum interpretationem iustum atque idoneam  
litterarum copiam & apparatum requiri. quo  
vel solo si Grammaticus sit instructus, sibi ma-  
gnopere gratulandum esse putabit, neque vn-  
quam professionem suam tamquam sordidam  
& abiectam habendam esse credat. Etenim  
quali & quanta, vt hoc vtar, litterarum &  
artium cognitione illi opus esse dixeris, qui vel  
vnum *Homerum* interpretari grammaticae au-  
deat. Quanta earum copia in *Eustathio*, gram-  
matico Homeri interprete illo accuratissimo &  
subtilissimo latet: qua instructi si recentiores  
illi, vt ita dicam, *αιδητίνοι* enarratores ad eum  
interpretandum accessissent; haberet profecto  
Homerus, quod sibi de sua sorte gratularetur.  
Quam vero sit arduum atque difficile, vnum  
Homerum interpretari grammaticae; quam in-  
structum & imbutum variis iisque infinitis fere  
litteris pectus ad eius enarrationem afferamus,  
neceſſe

neceſſe fit, copiosius iſtud ſcribere ſi vellemus, libelli huius modum excederemus; quare harum rerum amantes cupidosque tirones (nam iis potiſſimum, non abſolutis arbitris, qui, vel me non monente, haec omnia melius norunt, haec ſcribenda eſſe duximus) ad elegantiſſimum omniq[ue] doctrina refertiſſimum Roberti Woodii libellum nuper ex lingua Anglica Germanice redditum remittimus; vbi ea omnia, quae di-  
ximus, copiosius iſtruantur.<sup>23)</sup>)

Postquam igitur Grammaticam contra recentioris iſcitiae maleuolae calumnias ſatis ſuperque defendimus, eique poëtarum interpretationem, a qua eam abigendam eſſe illa arbitrabatur, propriam afferuimus; festinat

C 4 noſtra

- 23) Prodiit nitidus iſte libellus Anglice primum Londini 1769, ita iſcriptus: *An Essay on the original Genius of Homer, & Germanica deinde versio Francoſ. ad Moen.* 1773. vbi accuratiſſimus ille Homeri interpres ipſe variarum litterarum copiam, quae in illo latent, p. 11. ſic expo-  
nit: *Wir mögen ihn als Geographen, als Reifen- den, als Geschichtſchreiber, oder als Chronolo- gen betrachten; wir mögen unsre Aufmerksam- keit auf ſeine Religion und Mythologie, auf ſeine Sitten und Gebräuche, oder auf ſeine Sprache und Wiffenſchaft richten: fo wird aus allen die- ſen Geſichtspunkten ſeine Nachahmung unſerer Betrachtung würdig feyn.*

nostra oratio eo, vt Grammaticae arbitros ex veteribus producamus, qui quidem ei non solum poëtarum enarrationem tribuunt; sed multo latius serpere patiuntur, vt omnes fere disciplinas & artes complectatur. Atque ne quis nos Grammaticae fines nimis extendere calumnietur, probe teneat ea, quae supra de *Grammatica perfecta* e Sexto Empirico docuimus. Etenim si eam multo latius, quam vulgo putamus, patere diximus, de γραμματικῇ τελειωτερῃ haec dicta sint: de qua copiosius Mausacc. ad Harpocrat. Lexicon. p. 330 sq. disputat. Quam multa vero eaque infinita fere Grammatica nostra complectatur, Sextus Empiricus adu. Gramm. I. 3. e Charete, Grammatico haud ignobili, ita exposuit: Χάρης δε εν τῷ πρώτῳ περὶ γραμματικῆς, τὴν τελείων. Φησεὶ γραμματικήν ἐξηγεῖ εἰναι απὸ τεχνῆς διαγνωσιῶν τῶν παρ' Εὐθύησι λεπτῶν καὶ νοητῶν επὶ τῷ αὐτοβεβατοῦ. Quae quidem Charetis professio ne cui absonta atque omnem veritatem excedere videatur, Quintilianum, optimum iuuenum praeceptorem, de hac re differentem inducamus, vt Charetis verbis eo maiorem fidem conciliet. Nec poëtas, inquit, legisse satis est, excutiendum omne scriptorum genus: non propter historias modo, sed verba, quae frequenter ius ab auctori-  
bus

bus sumunt. Tum nec citra Musicen Grammatice potest esse perfecta, cum ei de metris rythmisque dicendum sit. Nec si rationem siderum ignorat, portas intelligat: qui, ut alia mittam, toties ortu occasuque signorum in declarandis temporibus vtuntur. Nec ignarae physicae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos, ex intima quaestzionum naturalium subtilitate repetitos; tum vel propter Empedoclem in Graccis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum, quas demonstrauimus, rerum dicat proprie & copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem, ut tenuem ac ieunam, cauillantur: quae nisi oratoris fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris, corruet. necessaria pueris, iucunda senibus; dulcis secretorum comes: & quae vel sola omni studiorum genere plus habet operis, quam ostentationis. Atque cum his consentit vel ipse Seneca, Ep. LXXXVIII. Cum Grammaticus, inquit, circa curam sermonis versetur &, si latius euagari vult, circa historicos iam, ut longissime fines suos proferat, circa carmina.

Atque hoc modo Grammaticae latifundium, a quo se maleuolorum quorundam vi atque iniuria depulsum iure meritoque quere-

batur, asseruimus, idque, quod recentioris aetatis nonnullorum calumnia ipsi detraictum cupiebat, iustis vindiciis repetiimus: quid? quod grammaticae artis defensores ac tutores, veterum probatissimos, manum cum eius aduersariis conferentes, ut in veteri formula, fecimus: quibus ipsis rei grammaticae vindicibus si fidem nullam habeant istius contemtores ac reprehensorum: quibus disceptatoribus, quibus iudicibus, bone Deus! controversiam tantam tollemus? Sed horum conuicia ac maleuolas obtreccationes minus curemus. Restituti sunt Grammaticae fines. suum sibi tributum ac assertum merito gaudet. Miserent, indignentur, succenseant & quicquid moliantur istius contemtores, in saluo ac tuto est Grammatica.

Quamquam vero de finibus & limitibus, quibus contineatur Grammatica, nullus dubitandi disceptandique locus relictus esse videtur, nisi forsan iis, qui Pyrrhonis castra sequuntur, quibuscum non est, quod copiosius disputeremus: tamen suboritur hic quaestio de ratione, qua Grammatica in veterum auctorum interpretatione sit vtendum. Materia enim, quam tractat, constituta & definita quidem omnibus videtur; sed quomodo in ipsa veterum librorum interpretatione versari debeat, hinc nouae lites,

lites, discordiae atque iurgia. Sunt enim e  
veteribus non minus, quam e recentioribus,  
qui rerum obscurarum atque inter se complexa-  
rum distinguendarum studio ducti, varia variis  
in enarratione veterum auctorum officia tri-  
buant: atque ita Grammatici munus tam an-  
gustis & arctis limitibus coercent, ut de hac  
noua sibi illata iniuria Grammatica iure meri-  
toque nouam actionem intendere posse videa-  
tur. Quae vero nouae huius actionis sit ratio;  
quid quaerendum expostulandumque; quid  
denique sibi iniuste detractum, repetendum  
atque restituendum putet, quam breuissime  
fieri poterit, exponemus.

Neminem, qui in veterum libris vel pa-  
rum sit versatus, neque artis grammaticae plane  
expers, fugere posse arbitror, quae de *Gram-  
matici*, *Philologi* atque *Critici* discriminare &  
veteres & recentiores prae se tulerint aut so-  
mniauerint. Quae quidem si sciungenda atque  
distinguenda videantur, cogitatione quidem,  
sed re atque natura separari alterum ab altero,  
salua Grammatica, quam effingimus atque ela-  
boramus, minime poterit.

Ac primum in discriminare, quod inter  
*Grammaticam* & *Philologiam* esse videatur, nec  
veteres nec recentiores inter se consentiunt;  
sed

sed alter ab altero vehementer sententia sua  
discrepat, ut inde facile perspicere quilibet pos-  
sit, totam istam rem esse tam coniunctam atque  
inter se complexam, ut vix ac ne vix quidem,  
quo potissimum discrimen illud contineatur,  
dicere possis. Grammaticam plerumque, ne-  
scio quam, faciunt, quae in linguae cuiusque  
vim atque indolem inquirat, naturam illius  
perscrutetur, viamque, qua ad illius genium  
accurate perspiciendum commode ac tuto ince-  
damus, muniat atque ostendat; quae vocum  
originem notationemque in ipsa auctorum  
interpretatione exponat; varias easque inter se  
coniunctas significaciones e tenebris quasi eruat  
& ad classes quasdam redigat; quae singulas  
porro dicendi formas atque linguae cuiusque  
proprietatem explicit, &c, ut breuiter dicam,  
cui verborum magis, quam rerum, curam in-  
iunctam esse arbitrantur. Quae si sola esset  
Grammaticae professio, eaque rite ac religiose  
fungerentur illius cultores, nullum' profecto  
aliud, quam Grammatici, nomen ac laudem  
ambirem. Etenim verba & res, quae ipsis  
subiectae sunt, tam amice inter se sunt coniunc-  
tiae, ut, sciuncta atque seposita cognitione  
rerum, nulla vnquam verborum cura, mea  
quidem ex sententia, locum habere posse vi-  
deatur.

deatus. De hac vero re alio forsan loco plura dicendi erit maior opportunitas.

Ad *Philologiam* nunc veniamus, atque videamus, qualem nobis isti fingant atque adumbrent. quam quidem, ut supra iam monuimus, a verborum cura plane remouent, soli rerum cognitioni addicunt. *Philologum* enim dicunt esse eum, qui, relicta atque seposita verborum cura, antiquitatum, historiae, geographiae caeterarumque disciplinarum omnium cognitionem ad veterum auctorum locos subobscuros interpretandos afferat: qui de scriptoris castitate, puritate atque venustate iudicet; qui denique linguae vtriusque, tam Graecae, quam Latinae, fata varia exponat, & res, quae sint memoria dignae, illustret atque explicet. Qua in *Philologiae* & *Grammaticae* distinctione fingenda habent illi quidem ex veteribus nonnullos, quos sequantur. Etenim non Seneca solum, Ep. CIII. alia *Philologiae*, alia *Grammaticae* munera fecit; sed Stoici fere omnes, ex Zenonis disciplina, φιλολογίαν & λογοφιλίαν, nescio quam, fingebant.<sup>24)</sup>

Atque hoc *Philologiae* & *Grammaticae* discrimen, quod quidem nonnulli, veterum auctoritate commoti, prae se ferunt, quod attinet,

24) Vid. Vouerum de Polymath. c. XV.

tinet, equidem non is sum, qui negem, Philologum a Grammatico technico illo, quem supra, de Grammatistica, siue de Grammatica rudiori cum loqueremur, copiosius descripsimus, posse quodammodo distingui atque sciungi: quin ipse *Seneca*, quem in rem praesentem aduenire iubent aduersarii, ita mihi interpretandus esse videtur; sed Grammaticam augustiori quadam atque illa, quam supra exhibuimus, notione si tibi cogitaueris, nunquam illud concedendum putabimus. Nam, ut nihil dicamus, quod supra leuiter iam tetigimus, verborum curam, sine cognitione rerum, quae illis subiectae sint, esse omnino nullam, iam veteres ipsi, qui in hac re aliquid videre volebant, putarunt, Philologum & Grammaticum esse inter se coniunctos. To φιλολογον enim omne, quod interiorem atque reconditam quandam saperet eruditionem, ut e Plutarcho *de audiend. poët. c. 2.* patet, eos recte appellasse, quis est, qui dubitet? Hinc etiam factum est, ut φιλολογοι eruditos insigniori quodam nomine, & φιλολογια interiorem litterarum complexum indicarent. Hae vero litterae interiores, quas Philologo asserunt, sunt eadem illa a nobis supra laudata τα γραμματα: quare iidem illi φιλολογοι recte & naturae conuenienter di-

cuntur

τενες, την χρειαν των ονοματων συνοικειουν τοις  
ιπονειμενοις πραγμασι.

Quod quidem *Grammatici* & *Philologi* discrimen, quod ab harum rerum imperitis plerumque iactatur, quam sit vanum atque inane, optime e loco Suetonii de ill. Gramm. perspici poterit. Etenim poliquam copiosius demonstrauerat, quam varia eaque eximia Grammatica, quae olim Romae ne in vſu quidem, nedum in honore vlo fuisset, licet mediocre eius initium existens, per varios eius artis professores incrementa cepisset, & ad summum fere fastigium per Atticum Philologum effet elata, aut maiori saltem litterarum copia, tamquam largo fonte irrigata; differte narrat, ab eo tempore eam *Philologiam* audiisse, & propter praestantiam eximiamque rerum copiam sic appellatam fuisse. Haec vero e Suetonii loco quisque melius cognoscet, cuius verba haec fere sunt: *Philologi appellationem assunisse videtur, quia, sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicauit, multiplici variaque doctrina censebatur, quod sane ex commentariis eius appareret.* Quam male atque per-

peram

peram omnino agant ii, qui Grammaticum a Philologo seiungunt, cum vterque natura sint coniuncti, neque sese diuelli patientur, videat, qui hac de re copiosius aliquid legere velit, *Heinsti prolegomena in Aristarchum sacrum*, p. 647 sq.

Cum igitur Grammaticae fines tam late pateant, vt vnum cum Philologia quasi corpus constituant, a quo si vel vnum seiungatur membrum, totum reddatur mutilum atque lacerum; sapientissime profecto egisse videntur ii, qui Grammaticam tripartitam fecerunt: τεχνην nempe, εξηγητινην atque πριτινην. Atque hac in re Sextus Empiricus mihi omnium princeps videtur, quem in constituendis Grammaticae partibus potissimum sequamur. Etenim ille<sup>25)</sup> tres Grammaticae partes constituit: primam, quam τεχνην nominat, & quae in nostris libellis grammaticis, quos pueri tractant, traditur, quamque recentioris aetatis nonnullorum inscitia pro vera veterum Grammatica habet: alteram ισοριτην, quae de personis, locis, montibus, fluviis caeterisque rebus omnibus, quae in veterum scriptis occurrunt, exponit: tertiam denique πριτινην, quae obscuros locos illustrat; quid sit genuinum & rectum,

25) Adu. Gramm. I. 4.

rectum, vel prauum & spurium, profert atque dijudicat. Quae quidem Grammaticae partes, quamquam possunt cogitatione quodammodo se iungi: natura tamen tam arte inter se sunt coniunctae atque connexae; altera alterius ope ita indiget & sustentatur, ut ονος πονας ξητειν videaris, eamque ab eo citius extorqueas, quam, partibus istis disturbatis, Grammaticum perfectum constituas. Optime harum Grammaticae partium coniunctionem consociationemque vidit iam idem ille Sextus Empiricus, cuius verba, ut ab omnibus bene notentur iis, qui inter has discordias atque dissidia volunt, vehementer optamus. Νοητεον δε αυτα, inquit, ον πατ' ειλικρινειαν, ουδ' ας αν τις ειποι μερη του ανθρωπου, ψυχη ηας σωμα. Ταυτα μεν γαρ ας έτερα, οντα αλληλων νοειται· το δε τεχνικον ηας ισοριουν, ηας το περι τας ποιησεις ηας συγγραφας της γραμματικης μερη πολλην εχει συμπλοκην ηας αναμηρισιν προς τα λοιπα. Καη γαρ ή των ποιητων επισκεψις ον χωρις του τεχνικου ηας ισοριουν γινεται μερους· ηας έκατερον τουτων, ου διχα της των αλλων παραπλοκης συνεσηκεν. 26)

Cum

- 26) Quam varii sibique minus ipsi constantes veteres in constitueris Grammaticae partibus fuerint, vide, sis, Mausae, ad Harpocrat. p. 379. Vo-

D

uerum

Cum igitur de vano & inani plane, quod Grammaticae & Philologiae interesse quidam sibi persuaderi patiuntur, discrimine, satis superque diximus, & commentatiuncula ad finem properare videtur :

uerum de Polymath. c. VIII. Sext. Empir. adu. Gramin. I. 4. edit. Fabric. Not. F. De qua ipsa sententiarum varietate, quid sit statuendum, & quemnam potius in causa ista disceptanda sequamur arbitrum, iam paucis exponemus. *Varro* apud Diomedem, lib. 7. quatuor Grammaticae partes fecit. Etenim ille; *Grammaticae officia*, inquit, *constant in partibus quatuor, lectione, enarratione, emendatione & iudicio.* *Lectione* est artificialis interpretatio, vel varia cuiusque scripti enunciatio, seruiens dignitati personarum, exprimensque animi habitum cuiusque; *enarratio* est obscurorum sensuum quaestzionumque explanatio, vel exquisitio, per quam yniuscuiusque rei qualitatem poëticis glossulis exsoluamus; *emendatio* est, qua singula, prout res postulat, dirigimus, existimantes yniuersorum scriptorum sententiam diuersam, vel correctio errorum, qui per scriptiōēm dictionemque fiunt. *Iudicium* est, quo omnem orationem recte, vel minus quam recte, pronunciatam specialiter iudicamus, vel existimatio, qua poëma caeteraque scripta perpendicularis. Atque Varro non solus Grammaticae partes praeter necessitatem auxit, sed vterius ea in re progressius est *Dionysius Thrax*, qui quidem

videtur: de *Critica*, nobilissima illa Grammaticae parte, quam breuissime fieri poterit, adhuc differemus. Atque hic profecto est, quod subverear, ne quis, me iusto latius excurrere

D 2

atque

dem sex fecit eiusdem partes: Μέρη δὲ αυτῆς, inquit, εἰσιν ἕξ. πρώτου αναγνωστικής εντριβής κατὰ προσωδίαν· δευτερού εξηγησίας κατὰ τοὺς ενυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους· τρίτου γλοσσῶν τε καὶ ἴσοριων προχειρού ἀποδοσίας· τετάρτου ετυμολογίας ἐνρερίς πεμπτοῦ αναλογίας εὐλογισμος· ἑκτοῦ ιριστικῆς ποιηματων, ὁ δῆ καθάρισον εἰν εν τῇ τεχνῃ. Praeter hanc vero artis grammaticae diuidendae rationem aliae adhuc veteribus erant in usu. Erant enim inter Graecos, qui partes illius ita constituerent, ut μέρος αναγνωστικού, διορθωτικού, εξηγησιον & πριτικον facerent. Atque in hac re cum Varrone consentire videntur. Το αναγνωστικον, quod respondet Varronis *lectioni artificiali*, ad γραμματικην μηραν siue τεχνην περι του γραφειν καὶ αναγνωσκειν: caeteras vero eius partes ad γραμματικην μεγαλην siue τεχνην θεωρικην των παρα ποιηταις τε καὶ λογικοις (id est, Ora-tores, Historicos, Philosophos & Medicos) referabant. Cum vero neque Varronis, neque Dionysii Thracis diuisionem omnino probandam arbitremur: totam Grammaticam vel cum Philone in στελεσεραν & τελειοτεραν (vid. Mau-sace. ad Harpocrat. p. 330.), vel cum Sexto Empirico

atque alienas in possessiones inuadere, arbitretur. Etenim de *Critica* si hic nos loquimur, non de *Critica verborum*, sed de *Critica rerum* etiam, quanta quanta illa est, sermo erit; quia ne illam quidem sine hac locum habere posse, & veterum auctoritate & ratione persuasi credimus.

*Empirico* in τεχνικην, quam alii μεθοδικην nominant, in ισοριανην, quae aliis εξηγητικην, & in υριτικην, quae aliis μικτην, & Sexto Empirico τοιδιαιτερου audit, diuidimus. Paucissimas vero Grammaticae partes, neque id iniuria, constituit *Fabius Inst. Or. I. 4.* Haec igitur professio, inquit, cum breuissime in duas partes recte dividatur, recte loquendi scientiam & poëtarum enarrationem plus habet in recessu, quam fronte promittit. Nam & scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, & enarrationem praecedit & emendata lectio, & mixtum his omnibus iudicium est. Atque hac in re *Fabio* adstipulor maxime. Etenim omnis interpretatio, nisi praecedat emendata lectio, & nisi haec primum stabiliatur, temeraria, vana, inanis & ita comparata erit, vt a quo quis quam facillime labefactari possit; iudicium autem, siue προσις verborum & rerum, nisi omnibus Grammaticae partibus aspergitur, nullam in ea elegantiam, subtilitatem & αντίθεσιν reperies; sed inanem loquacitatem & γραμματικην παχυτητα, siue inanem & vanam Grammaticorum arrogantiam & superbiam potius, quae nihil philosophici acuminis & subtilitatis habet.

dimus. Sunt enim haud pauci, qui Grammaticae criticam artem minime afferendam putent; sed propriam eamque plane diuersam constituere artem arbitrantur magis, quam certis rationibus confirmati statuant. Qua de re Vossius ille ὁ παῦν (quem alias honoris caussa nomino, & vix arrogantiae culpam effugere posse arbitror, qui ab eo discedam) operose magis, quam vere, egit in elegantissimo illo & doctissimo opere de arte grammatica. Etenim ipsi πρίτην non solum de verbis genuinis vel spuriis, prauis vel rectis iudicandi est facultas; sed ea omnino vis & potestas videndi & iudicandi, quid in quaue re vel verum, vel falsum, vel rectum, vel prauum sit. Quo sensu si sumatur *Critica*, lubentissime fatemur, eam non ad Grammaticam proprie, sed ad omnes fere disciplinas & doctrinas pertinere. De *Critico* vero hic cum loquimur, hanc ei vocem tribuimus, qualem ei illi subiectam volunt, qui *Criticum* a *Grammatico* sciungunt. Illum enim nihil aliud agere putant, quam ut verba auctori restituat genuina & propria, verumque, quem ipse verbis subiecerit, sensum eruat atque tueatur. Quod si vero in res magis, quam verba inquirat: tunc se non ut *Grammaticum criticum*, sed ut *Grammaticum philosophicum* aut

*Philologum*, nescio quem, gerere dicunt. Quae quidem professio homine eruditio tam est indigna, ut profecto meimet ipsius me poeniteret, talia piae me ferre. Fuerunt autem iam inter Veteres, qui *Criticum* a *Grammatico* sciungendum putarent: non a τελειωτερῷ vero illo, quem *Sextus Empiricus* & *Philo* nobis finxerunt; sed ab exsangui illo, tenui ac macilento potius, quem idem ille οὐτως γραμματικον nominat. <sup>27)</sup>)

Quicquid igitur Grammaticae contemtores dicant, Criticam facultatem ipsi propri tribuendam credimus: & nunquam nobis hoc vel operosissimis rationum machinis extorqueri sinamus, neminem perfectum dici haberique posse

- 27) Verum quidem est, quod iam nonnulli e veteribus Criticum a Grammatico sciunetum esse voluerunt. Etenim *Crates Mallotes*, ut *Sextus Empiricus* adu. Gramm. I. 3. narrat, γραμματικον dixit esse ἀπλως γλοσσων εἰδηγητικον, παχη προσῳδιας αποδοτικον, παι των τουτοις παραπλησιων εἰδημονα. Καη εοινεναι εκεινον μεν αρχιτεκτονι, του δε γραμματικον ὑπερετη. Quid? Grammaticus igitur amouendus a Critica? Quid? ille est huius minister, qui colligat materiem atque in manum tradat Critico, qui ipsam effingat, laboret atque absoluat? Quid? Grammaticus erit merus verborum obscurorum

(των

posse Grammaticum, nisi etiam sit Criticus; quid? quod vtrumque tam arte & amice coniunctum est, vt corpus & animus, quae si seiunxeris, hominis natura omnis perit. Quis, quaeso, vnquam fuerit tam audax atque temerarius, vt locum scriptoris subobscurum interpretari audeat, nisi prius antecedat emenda lectio? Quis tam impudens atque arrogans, vt res, quae verbis sint subiectae, explaret, nisi earum sit peritus & gnarus? Quis tam amens, vt de locis prauis vel rectis, genuinuis vel spuriis iudicare sustineat, nisi Grammaticam *ατελεσθεων*, quae de litteris, syllabis, declinandi & coniungendi modis variis, & quae sint reliqua, quae illam rudem artem efficiunt, tradit, prius cognouerit? Quot, quaeso, conjecturae criticae absurdæ, monstrofæ &

D 4

inanes

(των γλοσσων) auceps atque perscrutator? Hoc profecto non concedendum putabunt ii, qui, quod Sextus Empiricus de hoc *Cratete* Mallota tradidit, legerint. Ille enim adu. Gramm. I. 2. hanc demum propriam perfectamque Grammaticam esse diserte dicit, qualis fuisset elaborata studio *Cratetis* *Mallotae* & *Aristophanis* & *Ari-*  
*starchi*; sed non rudem illam imperfectamque plane & mutilam. Ιδιαιτερος δε, inquit, η ευ-  
τελης, η τοις περι Κρατητα του Μαλλωτη,  
Αριστοφανη τε η αριστορχου επιουηθεισα.

inanes ex huius Grammaticae vel ignorantia, vel negligentia ortae sunt! Nam si vel speciosissima atque ingeniosissima est coniectura critica & genio loquendi, declinandi & coniungendi modo, quid? quod, si peculiari dicendi rationi, qua quilibet scriptor gaudet, vel minimum repugnat, corruit ea atque plane perit. Quis porro erit tam imprudens, vt emendandi corrigendique laborem suscipiat, nisi sit εξηγητης gnarus? Quis enim erit tam parum in hoc genere versatus, quin sciat, quam male saepius, vt hoc vtar, Critici in veterum philosophorum libris corrigendis emendandisque rem suam egerint, qui, Philosophiae veteris ignari, ad hoc arduum opus accessissent? Quis denique erit tam pertinax, quin largiatur, Grammaticum, nisi sit Criticus, & Criticum, nisi sit Grammaticus, pro homine, cui vel corpus vel animus desit, esse habendum? Optime etiam hoc viderunt veteres. Etenim illi Criticam, quam tertiam Grammaticae partem faciebant, bene nominabant μικτην, id est, ex utraque, cum τεχνην, tum εξηγητην, coniunctam. Atque ita est: altera alterius ope siccindiget, vt mihi vix ipse placerem, nisi ab initio, quo litteris humanioribus operam dare coepisset, Grammaticam cum Critica coniunxissem,

xissim. Si quis igitur, quae hactenus a nobis dicta sunt, collegerit, facile, vel nobis non admonentibus, perspiciet, quam inanis eorum esse debeat opera, qui Grammaticum a Critico operose & anxie scriungunt.

Quod vero e natura atque vi utriusque facultatis, cum grammaticae, tum criticae, demonstrauimus, veterum quoque euincit auctoritas. Etenim Grammaticus illis saepe idem fere est, qui Criticus, & vicissim Criticus idem, qui Grammaticus. quod copiosius ut exponamus, necesse non videtur; quia & ex iis, quae supra disputanimus, cognosci potest, & copiosius ea de re ab aliis iam dictum est.<sup>28)</sup>

Sed iam disputatio nostra eo festinat, ut, qualem illum Criticum sive perfectum Grammaticum esse veteres voluerint, demonstremus. Optime hoc Crates Mallotes, ut Sextus Empiricus<sup>29)</sup> narrat, docuit: Τον μεν πριτινον, ait, πασης δειν λογικης επισημης ευπειρου ειναι. Quid tandem inquis, audio artis grammaticae contemtores dicere? Quid nobis de επισημη λογικη narratis? Qualem vobismet ipsi Criticum somniantis, qui in rerum natura nunquam sit reperien-

D 5

dus?

<sup>28)</sup> Walchius de Arte critica veter. Romanor. c. III.  
§. 3. sq.

<sup>29)</sup> Adu. Gramm. I. 3.

dus? Nonne λογικη επισημη Philosopho propria est? Qualis erit ista, quaeſo, cognitio, quam Grammaticus & Criticus iactant? Qui si didicissent, επισημη λογικη non Philosophiam ſolum, ſed etiam artes liberales ac ingenuas omnes, ſive εγκυλοπαιδεια indicare, non tam temere iudicando iſcītiam ſuam prodiſſent. Quanta enim rerum copia inſtructus Grammaticus ad veterum libros interpretandos accedat neceſſe fit, iam ſupra diximus, & vel optime experietur is, qui ab artium liberalium cognitione aut plane deſtitutus aut leuiter ea imbutus, opus hoc arduum ac diſſicile aggredi audeat. quare etiam iam *Telephus* quidam, vt Suidas in voce Τηλεφος narrat, peculiari libello oſtendit: ποσα χρη ειδεναι γραμματιον.

Quamquam vero Philosophiam ad humaniſtatis disciplinas iure meritoque referendam eſſe arbitramur, & hoc iam ab aliis copioſius demonſtratum eſt: <sup>30)</sup> tamen, quia hoc ipsum nonnullis videatur mirum atque absurdum, hanc ipsam Grammaticae breuiter vindicabimus. Atqui hic ea non repetemus, quae ab aliis hac de re iam diſputata ſunt copioſius; <sup>31)</sup>

ſed

30) Vid. S. V. Ernesti Prolus. de finibus humanior. ſtudior. regundis. Lips. 1738 p. 11.

31) Vid. Io. Aug. Ernesti diſſert. qua Philosophia perfectae Grammaticae aſſeritur. Lips. 1732.

sed ea, quae nobis nostra suggerit hac de re obseruatio, proferemus, & per partes Grammaticae eundo, quam necessaria illi Philosophia, non compendiaria illa quidem, sed liberalis, nec vlli disciplinae adstricta, sit, demonstrabimus.

Vt vero de *ατελειοτερῃ γραμματιη* initium faciam, quae quidem in litteras, syllabas, accentus variasque litterarum per saecula vicissitudines inquirit: ea profecto Grammaticae pars est tantae subtilitatis & vel minutissimorum rerum referta, vt, nisi iudicandi elegancia atque *ανριβεις* gaudeas, in sexcentos errores incurras. Quis enim sine ea ad corrigendos autores vñquam accedere audet? Quis, quaeso, aliquid elaboratum perfectumque ea in redabit, nisi in minutissimis atque subtilissimis istis rebus sit ita versatus atque continuo usum tritas habeat aures, vt vel tactu & sensu iudicare possit, vtrum aliquid sit aut prauum, aut rectum, aut genuinum, aut spurium. Atque quo quis ea in re versabitur accuratius atque diligentius, eo elegantior, subtilior atque perfectior euadet ista facultas critica. Qua quidem *ηριτη έξει φιλοσοφιη* in *γραμματιη ατελειοτερῃ* si quis careat, nunquam Criticus perfectus, sed operosus potius variarum lectionum

*συλλογισης*

*συλλογισης* nominandus erit, qui infinitam quidem materiae criticae farraginem collegerit, sed ipse diiudicare atque examinare istam non poterit. Verum ista facultas philosophica non solum ad res vel minutissimas examinandas requiritur; sed ea etiam in indole cuiuslibet linguae propria, quae variis declinandi, coniungendi, construendi atque res, animo conceptas, eloquendi modis continetur, per scrutanda locum habet. Nam non facile quisquam, quae sit cuiusuis linguae proprietas, genius atque character, mea quidem ex sententia, diiudicare poterit, nisi id, quo altera lingua ab altera discrepet, teneat atque sciat. Nunquam profecto verborum vim ac potestatem perspiciet, nisi eorundem notationem siue *επιμολογιαν* nouerit. Infeliciter denique versabitur in verborum elegantia, ornatu, venustate, vrbanitate, lepore, sublimitate caeterisque virtutibus examinandis, nisi cuiuslibet harum virtutum notionem nouerit atque, qua potissimum re quaelibet contineatur, differte atque dilucide exponere didicerit. Haec vero omnia neminem praefiturum esse sine Philosophia, siue facultate iudicandi accurata atque subtili, quilibet periculo facta cognoscet.

Atque

Atque si vlla in disciplina Philosophia quadam, siue accurata & subtili rei cuiuslibet naturae & causae cognoscendae facultate opus esse videtur: ad hanc profecto Grammaticae partem, quam *τεχνην* plerumque nominant, quam maxime requiritur. Etenim cum linguae omnes, quibus homines vario locorum regionumque interuallo sciunt utuntur, sint quidam quasi thesauri, vbi multarum earumque admirandarum rerum semina atque indicia recondita habeas: quis erit vñquam istis rebus, quae quidem variis tenebrarum inuolucris obtectae sunt, perscrutandis eruendisque par, nisi iudicandi intelligendique acumine sit praeditus maximo. Atque hoc ipsum, quod de studio linguarum quasi in transcursu tantum diximus, optime iam vidit *Baco Verulamius*, accuratissimus ille atque humannissimus Philosophus. Qui de Grammatica, quam quidem nos hucusque formauimus, cum disputat, aliam *litterariam*, aliam *philosophicam* fecit. Atque vt *litteraria* illa viam ad linguas addiscendas munit & regulas, quibus pure, emendate eleganterque loqui discas, tradit: ita *philosophica* longe insignior est atque augustior, quae reuera nondum a nobis inuenta atque exculta est. Etenim illa non verba, sed cognitionem, quae verbis & rebus, quas ea notent, intercedat,

intercedat, perscrutatur; ea porro in etymologiam, non obscuram operosamque illam quidem, sed in illam potius inquirit, quae largam nobis praebere possit materiem variarum gentium nationumque originem, sedes, migrationes, artium litterarumque culturam, morum indolem aliasque res, quae & usu & dignitate sese commendarent, cognoscendi atque exponendi. Qua certe ratione si coleretur effingereturque Grammatica illa *τεχνικη*, haberet profecto, quod sibi vniuersa eruditio non minus, quam Historia in primis & Philosophia, de multiplici fructu gratularetur, qui ex eiusmodi linguarum studio ad eas redundatus esset maximus & uberrimus. Sed cum libelli modus nos cohipeat, quo minus fusius ista de re loquamur, accuratum atque subtilissimum *Bacnonem* differentem ipsam inducemos, cuius auctoritas, quae sane est maxima inter Philosophos, nostris verbis fidem haud leuem faciet. *Illa demum, ut arbitramur, inquit, 32) fuerit nobilissima Grammaticae species, si quis in linguis plurimis, tam eruditis, quam vulgaribus, eximie doctus, de variis linguarum proprietatibus tractaret, in quibus quaeque excellat, in quibus deficiat, ostendens.* Ita enim *¶* linguae mutuo commercio locupletari

32) De dignitate & augmentis scientiarum. l. VI. c. 1.

locupletari possunt, & fiet ex iis, quae in singulis linguis pulchra sunt, tamquam Venus Appellis, orationis ipsius quaedam formosissima imago & exemplar quoddam insigne, ad sensus animi rite exprimendos. Atque una etiam hoc pacto capiuntur singula haud levia, sed obseruatu digna (quod fortasse quispiam non putaret) de ingenii & moribus populorum & nationum e linguis ipsorum. Evidem libenter audio Ciceronem notantem, quod apud Graecos defit verbum, quod Latinum illum ineptum reddat. Propterea, inquit, quod Graecis hoc vitium tam familiare fuit, ut illud in se ne agnoscerent quidem. Digna certe grauitate Romana censira! Quid illud, quod Graeci in compositionibus verborum tanta licentia usi sunt, Romani vero magnam in hac re severitatem adhibuerunt? Plane colligat quis, Graecos fuisse artibus, Romanos rebus gerendis magis idoneos. Artium enim distinctiones verborum compositionem fere exigunt: at res & negotia simpliciora verba postulant. Quin Hebrei tantum compositiones illas refugiant, ut malint metaphorā abuti, quam compositionem introducere: quin etiam verbis tam paucis & minime commixtis utuntur, ut plane ex lingua ipsa quis perspiciat, gentem fuisse illam Nazaraenam & a reliquis gentibus separatam. Amon & illud obseruatione dignum,

dignum, (licet nobis modernis spiritus non nihil retundat) antiquas linguas plenus declinationum, casuum, coniugationum, temporum & similium fuisse: modernas his sere destitutas plurima per praepositiones & verba auxiliaria segniter expedire, sane facile quis coniiciat, (vtcunque nobis ipsi placeamus) ingenia priorum saeculorum nostris fuisse multo acutiora & sublimiora. Innumerā sunt eiusmodi, quae instum volumen complere possint. Non abs re igitur fuerit, Grammaticam philosophantem a simplici & litteraria distinguere & desideratam ponere. Quodsi hoc demum erit, Grammaticum perfectum referre, quis est, qui hoc sine arrogantiae suspicione prae se ferre audeat? Si hoc tam insigne, magnificum idque arduum est negotium, quis est, qui hoc Grammatici munus non ambiat? Si hoc denique a *Grammatico & Critico* iure meritoque requiri potest: quis erit, qui ad eam Grammaticam, Philosophiae cognitione destitutus, audeat accedere.

Veniamus nunc ad alteram Grammaticae partem, quam *ἰσορίην* siue *εξηγητικὴν* nominare solemus: cui si Philosophiam afferemus & vindicabimus, non arbitror, fore multos, qui hoc inficias eant. Quo magis enim aliquis in hac ipsa parte est versatus, eo facilius atque lubentius

Lubentius hoc concedendum atque confiter-  
 dum esse putabit. Nam cum auctorum inter-  
 pretatio eo potissimum contineatur, ut verbo-  
 rum vis atque potestas exponatur atque expli-  
 cetur non solum, sed etiam res, quae verbis  
 subiectae sunt, planae atque perspicuae fiant  
 omnibus: facile quilibet, vel nobis non admo-  
 nentibus, videbit, hanc Grammaticae partem  
 sine Philosophia constare vix posse. Quis  
 enim, nisi Philosophia liberaliori sit imbutus,  
 & intelligendi iudicandique acuminé gaudeat,  
 hoc interpretis munus rite exsequi poterit, ut  
 varias cuiuslibet vocis significaciones ad suas  
 classes, tamquam formas ad sua genera, redi-  
 gat? Quis erit vñquam isti prouinciae par,  
 vt, quae in quois loco verborum significatio  
 valeat maxime, e tota orationis serie & ambitu  
 videat atque perspiciat, nisi ingenium multo  
 vsu subactum atque ad dialecticam subtilitatem  
 exercitatum adferat? Quis porro sustinebit,  
 quae in veterum scriptis saepius sibi videantur  
 contraria, componere, auctoris verba subob-  
 scura ex eo ipso interpretari, usum loquendi  
 verum & vnicuique auctori proprium indagare  
 & inuenire? Quis denique in hoc ita verfa-  
 bitur, vt res, quae verbis subiectae sint, dilu-

E

cide

cide exponat, in eorum naturam inquirat, quid verum falsumue sit, acute perspiciat? Quae omnia non ieungi & οντως γραμματικον esse, a quolibet, nullis argumentorum machinis extortum, sed sponte nobis dabitur; sed illius potius, qui ingenii acumine, intelligendi subtilitate & differendi elegantia instructus sit haud vulgari.

Atque hic vereor, ne quis nobis obiiciat, Grammatici esse, in verba, non in res inquire: nam de rebus, quae in veterum libris occurrant, differere, in Philosophum cadere potius, quam in ieunum Grammaticum. Evidem non ignoro, iam inter veteres fuisse, qui illud in rerum naturam inquirendi studium Grammatico detractum irent, atque soli Philosopho vindicandum putarent. Nam in scholiis ad Dionysium Thracem haec dissertis verbis leguntur: Ή μεν αφηγησις παχη συνταξις τω γραμματικω αρμοζει, το δε ληγμα αυτω τω φιλοσοφω; quem secuti sunt e recentioribus multi. Sed aliud plane est, ut ego quidem arbitror, interpretari auctorem grammaticē, aliud, commentari in illum philosophice. Etenim *Philosophus* in eum commentaturus id postissimum

tissimum agit, vt, vtrum auctor quidam recte vel perperam de rebus iudicauerit, nec ne, indaget: eius diligentia versatur potissimum in eo, vt in auctoris notiones inquirat, vtrum naturae respondeant & cum veritate conueniant, & alia eiusdem generis. *Grammaticus* vero id praecipue sibi agendum esse putat, vt res, quae verbis subiectae sunt, exponat, atque efficiat quam maxime, vt lectors idem, quod auctor cogitauerit, & ipsi cogitent, eodemque modo, quo ille affectus fuerit, cum scriberet, afficiantur & ipsi. Ad hoc vero praestandum, quis commode Philosophia carere poterit? Το<sup>ς</sup> γηγνω<sup>ς</sup>, id est, curiosa rerum indagatio atque studium videndi, quid veri, quid falsi dixerit auctor, recte erit *Philosophi*: interpretationem vero verborum & rerum sibi vindicabit *Grammaticus*.

Hanc denique Philosophiam ultimae eiusque omnium perfectissimae atque absolutissimae Grammaticae parti, quae ποιηση nominari solet, adhuc assertum eamus. Quodsi vero de Grammaticae partibus caeteris omnibus vere dici potest, quod ad eas tractandas φιλοσοφος non sit admittendus: id de *Critica*

valet maxime. Etenim cum tota, quanta  
quanta est, subtilissimis iisque accuratissimis  
contineatur regulis, ad quas variae illae lectio-  
nes, quae in libris & editis & manuscriptis oc-  
currant, exigi atque examinari debeant: haud  
feliciter profecto rem suam agere videtur is,  
qui minus acuto, subtili & perspicaci ingenio  
aut valeat, aut illud non vnu & exercitio cogi-  
tandi subactum atque excultum teneat. Ad  
quod accedit porro hoc, quod omnis fere res  
critica vel minutissimis ac rarissimis constat ob-  
seruationibus, quas legendi, interpretandi,  
emendandi & coniiciendi assiduitate tibi colli-  
gas non solum, sed eas ipsas ad regulas *Criticae*  
exigas, vt videoas, num quid sit genuinum, vel  
spurium, aut rectum, vel prauum. Quae  
denique in rebus criticis recte versandi difficul-  
tas augetur in primis eo, quod infinitam fere  
variarum lectionum multitudinem & nume-  
rum, cum e libris aere descriptis antiquis  
& probis, tum e manu exaratis, a viro-  
rum *πρινωτατων* diligentia collectum ha-  
bemus: ad quas examinandas si iudicio &  
ingenii acumine destituti deferamur, incerti  
vagique semper, vt in mari fluctuante, hinc  
atque illinc miseri iactamur, vt, quid sit se-  
quendum,

quendum, quid eligendum, videre minime possimus, aut auctoritatem aliorum sequamur temere, qui, si ex inscitia & imprudentia errauerint, nos ipsos inscientes in infinitos fere errores trahent; aut corrigendi emendandique pruritu, qui iuuenia plerumque inuadere solet ingenia, ducti, lectiones, quae optime constant, & sanae sunt, exulcerabimus atque corrumpemus penitus. De libris vero manu exaratis quis dubitat, quin ad eorum bonitatem recte diiudicandam magna experientia & acumine opus sit. Quodsi quis demum varias eorum quasi natales atque genealogias perscrutari, & codicem illum principem, e quo caeteri descripti sint, atque singulorum aut additiones, aut omissiones, aut mutationes, correctiones & alia eiusdem generis examinare voluerit: facile animaduertet, quanta cautio ne, iudicio, vsu, exercitationis assiduitate & perspiciendi denique follertia ad hanc rem opus fit.

E 3

Atque

Atque haec cura & diligentia in verbis tantummodo est occupata. *Critica* vero etiam sublimius atque altius aliquid spectat: quippe quod etiam circa res versatur. Cui profecto non est, quod operose nimis Philosophiam tribuamus & vindicemus: cum & res ipsa satis loqui videatur, & illi ipsis, qui Grammaticam contemnunt, quia rerum magis, quam verborum studiosi videri velint, hoc concedendum esse putent. Quae quidem Grammaticae pars cum sit difficilis & ardua, ut nemini, nisi sit multarum rerum cognitione, & Philosophia in primis imbutus, eam cum fructu attingere liceat: recte profecto *Longinus*, qui in hoc genere facile est princeps, iudicat, *cum, την των λογων πριστιν πολλής ειναι πειρας τελευταιον επιγεννυμα, profitetur atque contendit.*

Haec igitur est Grammaticae perfectae forma atque species, quam cum formauiimus atque effinximus, non id praē nobis ferre aut ipsis audemus, aut nobis ab aliis persuaderi patimur,

patimur, hanc imaginem exacte referre atque accurate exprimere quemquam posse, quod quidem in hominum imbecillitatem non facile caderet; sed id præsertim spectauimus, ut & Grammaticam a nonnullorum calumnia vindicaremus, eamque in fines suos reponeremus, & tirones, in primisque nostræ ipsius disciplinae alumnos admoneremus, ne leuia atque futilia esse arbitrarentur ea, quae profiteatur *Grammaticus*: ad quam opinandi leuitatem iudicandique temeritatem a saeculi nostri genio, suauiter molliterque sentiendi potius, quam subtiliter atque accurate cogitandi facultatis adfectatore, abripi sese facile patientur; sed *Grammatices amorem*, ut cum Quintiliano loquar,<sup>33)</sup> & usum lectionis non scholarum temporibus, sed vitae spatio terminari, crederent. Sed erunt fortasse, qui nos vel arrogantes vel impudentes dicant, quod Grammaticae formam adumbrauerimus eam, quam nec nos ipsi, nec alii vñquam imitando exprimere valeremus: quibus hoc respondemus,

33) Inst. Or. I. 8.

demus, quod de Oratore, quem instituendum  
formandumque sibi sumferat, Quintilianus,  
Institut. Orat. I. 10. dixit: Non enim a  
nobis institui Grammaticum, qui sit aut fuerit;  
sed imaginem quandam concepisse nos animo  
perfecti illius ex nulla parte cessantis.



36 75  
h, 8


V018

**ULB Halle**  
008 250 154

3







FRIDERICI RVDOLPHI WALTHERI

PHILOSOPH. ART. LIBERAL. MAGISTR.

ET

SCHOL. STENDAL. RECTOR.

# VINDICIAE GRAMMATICES.



STENDALIAE,

EX OFFICINA ET IMPENSIS DAN. CHRIST. FRANZENII.

M D C C L X X V I I I .

